




**IMAGE EVALUATION  
TEST TARGET (MT-3)**



**Photographic  
Sciences  
Corporation**

23 WEST MAIN STREET  
WEBSTER, N.Y. 14580  
(716) 872-4503

**CIHM/ICMH  
Microfiche  
Series.**

**CIHM/ICMH  
Collection de  
microfiches.**



Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques

**© 1986**

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- Coloured covers/  
Couverture de couleur
- Covers damaged/  
Couverture endommagée
- Covers restored and/or laminated/  
Couverture restaurée et/ou pelliculée
- Cover title missing/  
Le titre de couverture manque
- Coloured maps/  
Cartes géographiques en couleur
- Coloured ink (i.e. other than blue or black)/  
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- Coloured plates and/or illustrations/  
Planches et/ou illustrations en couleur
- Bound with other material/  
Relié avec d'autres documents
- Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/  
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distorsion le long de la marge intérieure
- Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/  
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.
- Additional comments:/  
Commentaires supplémentaires:

- Coloured pages/  
Pages de couleur
- Pages damaged/  
Pages endommagées
- Pages restored and/or laminated/  
Pages restaurées et/ou pelliculées
- Pages discoloured, stained or foxed/  
Pages décolorées, tachetées ou piquées
- Pages detached/  
Pages détachées
- Showthrough/  
Transparence
- Quality of print varies/  
Qualité inégale de l'impression
- Includes supplementary material/  
Comprend du matériel supplémentaire
- Only edition available/  
Seule édition disponible
- Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/  
Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/  
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	12X	14X	16X	18X	20X	22X	24X	26X	28X	30X	32X
<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input checked="" type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:



Library of the Public  
Archives of Canada

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol  $\rightarrow$  (meaning "CONTINUED"), or the symbol  $\nabla$  (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

La bibliothèque des Archives  
publiques du Canada

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole  $\rightarrow$  signifie "A SUIVRE", le symbole  $\nabla$  signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

ails  
du  
modifier  
une  
image

rata  
o

elure,  
à

32X

CONSTITUTIONES  
SYNODALES  
SANCTI HYACINTHI

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.  
LUDOVICO ZEPHIRINO MOREAU,  
DEI ET APOSTOLICE SEDIS GRATIA EPISCOPO SANCTI HYACINTHI,

LATÆ ET PROMULGATÆ.  
ANNO DOMINI MDCCCLXXX.



APUD S. HYACINTHUM.  
EX TYPIS "LE COURRIER DE ST. HYACINTHE."  
1880.



CONSTITUTIONES  
SYNODALES  
SANCTI HYACINTHI

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

LUDOVICO ZEPHIRINO MOREAU,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPO SANCTI HYACINTHI,

LATÆ ET PROMULGATÆ.

ANNO DOMINI MDCCCLXXX.



*APUD S. HYACINTHUM.*

EX TYPIS "LE COURRIER DE ST. HYACINTHE."

1880.

1880  
(65)

104662



LITTERÆ INDICATIONIS SYNODI  
SANCTI HYACINTHI.

LUDOVICUS ZEPHYRINUS MOREAU,  
*Dei et Sanctæ Sedis Apostolicæ gratiâ, Episcopus  
Sancti Hyacinthi.*

Venerabilibus Fratribus, Dilectisque in Christo ex  
universæ Diœcesis clero Filiis, Salutem et  
Benedictionem in Domino.

Inter pleraque alia episcopalis sollicitudinis officia, præcipuum sibi locum vindicat anniversaria illa olim veterum canonum jure, ac præsertim Tridentini Concilii decreto constituta diœcesanæ Synodi convocatio atque actio, utpotè quæ ad disciplinæ ecclesiasticæ, si collapsa sit, instaurationem, si adhuc vigeat, conservationem et perfectionem maximè conferre potest. Quocirca Nos sanctorum Antistitum vestigiis inhærere cupientes, his Nostris Litteris, omnes et singulos qui in hâc Diœcesi Nostrâ beneficia seu officia ecclesiastica obtinent, sive animarum cura illis annexa sit, sive non sit, ac generatim universos sacerdotes et clericos, qui quovis jure vel consuetudine Nostræ diœcesanæ Synodo interesse debent, monemus in Domino, iisdemque omnibus et singulis, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis canonum sacrorum jure sancitis, jubemus atque edicimus, ut ipsi clericali habitu decenti ac superpelliceis mundis induti, die vige-

simâ sextâ mensis augusti proximè sequentis, quem diem inchoandæ Diœcesanæ Synodi certum indicimus, summo mane, in Capellâ Seminarii Nostri Diœcesani S. Hyacinthi conveniant : nisi fortè legitimâ causâ, quam Nobis probare debent, impediuntur. Indè autem, cùm convenerint, ne cuiquam ante ipsius Synodi finem discedere liceat, nisi missione à Nobis impetratâ. Monemus prætereà omnes et singulos, ut memores ejus quod dixit Apostolus, de seipso aliisque Christi ministerio mancipatis loquens, *Christi bonus odor sumus in omni loco*, tùm in itinere quod hujus Synodi causâ suscepturi sunt, tùm in hâc urbe, et quolibet alio loco, eam frugalitatem, modestiam, gravitatem in verbo et conversatione servant, quæ decet ministros Christi et dispensatores mysteriorum ejus, ac denique in omnibus ordinem à Nobis præscriptum teneant, qui ab ipsius Synodi officariis Nostro nomine illis significabitur.

Ut verò Synodalis hæc actio, Dei ope et auxilio, feliciter pro ejus gloriâ et animarum salute succedat, edicimus ut post Indictionis hujus promulgationem, in omnibus missis privatis et cantatis oratio de Spiritu Sancto dicatur ut oratio *de mandato*, donè ipsa Synodus absoluta et dimissa sit. Ac prætereà ut ab ipsis parochis moneantur et excitentur fideles eorum curæ commissi, quatenus piis precibus ad Deum fusis, ac etiam dignè perceptis Pœnitentiæ ac Eucharistiæ sacramentis hoc ab ejus misericordiâ impetrare studeant, ut ea quæ muneris nostri sunt in hâc Synodali actione exequentes, largiorem divinarum gratiarum communicationem nobis et iis omnibus, quorum custodia nobis demandata est, obtinere valeamus.

Datum apud Sanctum Hyacinthum, die primâ

maii anno millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, sub signo Nostro sigilloque Nostræ Diœcesis, ac Assistentis-Secretarii Nostri subscriptione.



† L. Z. Epus. S. Hyacinthi.

De Mandato Illmi ac Revmi  
D. D. S. Hyacinthi Episcopi.

A. X. BERNARD, Can.  
Asst. Secrius.

Anno millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, diebus 26, 27, 28 mensis Augusti, juxtà litteras indictionis suprà relatas, et anno millesimo octingentesimo septuagesimo nono, juxtà alias litteras Episcopales ad primas referentes, diebus 27 et 28 mensis Augusti, in Seminario Diœcesano, habitæ sunt prima et secunda Synodus S. Hyacinthi.

Illustrissimus ac Reverendissimus LUDOVICUS ZEPHIRINUS MOREAU his duabus Synodis præfuit, ac designavit :

**Pro Officio Promotoris Synodi.**

R. D. A. Provençal, Can. Honor.

Et R. D. C. St. Georges, Can. Honor.

**Pro Officio Secretarii.**

R. D. A. X. Bernard, Can. Titul.  
Et R. D. E. Gravel.

**Pro Officio Magistri Cæremoniarum.**

R. D. L. H. Lasalle.  
Et R. D. S. Gendron.

**Pro Officio Cantoris.**

R. D. R. Larue.  
R. D. G. Browne.  
Et R. D. F. X. Jeannotte.

**Pro Officio Ordinatoris (Reglementaire.)**

R. D. L. Girard.

**Pro Congregatione de Decretis.**

Præsident.—R. D. J. S. Raymond, Præpositum Capituli, etc., etc.  
Secretarium.—R. D. Am. Dumesnil.  
Theologos.—RR. DD. A. X. Bernard, Can. Titul.,  
M. Godard, T. Boivin, L. L. Dupré,  
E. Gravel.

**Pro Congregatione de Doctrina.**

Præsident.—R. D. J. A. Gravel, Vicarium Generalem  
et Canonicum Titularem.  
Secretarium.—R. D. F. Tétreau.

Theologos.—RR. DD. J. Beauregard, Can. Titul.,  
C. St. Georges, Can. Hon., J. E.  
Levêque, O. Pelletier, J.D.Michon,  
I. Soly, N. Gauthier, L. Paré, O.  
Guy, F. P. Coté, J. Jodoin, L. A.  
Bourque, H. Balthazard, F. San-  
tenac, E. Lessard, C. Boulay, J. B.  
Toutain, O. P.

**Pro Congregatione de Disciplina.**

Præsident.—R. D. H. Millier, Can. Titul.  
Secretarium.—R. D. J. B. Chartier.  
Theologos.—RR. DD. A. Provençal, Can. Hon., G.  
Marchesseau, P. St. Aubin, J.  
Gaboury, R. Larue, E. Fortin, C.  
Blanchard, G. Browne, F. Pratte,  
D. Limoges, E. Gendreau, Az.  
Desnoyers, L. Girard, N. Bélanger,  
Z. Vincent.

**Pro Congregatione de Liturgia.**

Præsident.—R. D. B. J. Leclair, Can. Titul.  
Vices gerentem Præsidis.—R. D. J. J. Prince, Can.  
Titul.  
Secretarium.—R. D. J. P. Dupuy.  
Theologos.—RR. DD. M. Decelles, Can. Titul., P.  
Levêque, Isid. Desnoyers, C. Pou-  
lin, J. S. Taupier, L. H. Lasalle, J.  
A. Nadeau, P. Larochelle, Guliel.  
Raymond, Isid. Bessette, Alf. Du-  
puy, U. Charbonneau, S. Gendron,  
E. Rivard.

**Pro Congregatione de Studiis.**

Præsidem.—R. D. R. Ouellette, Can. Titul.  
 Secretarium.—R. D. A. O'Donnell, Can. Titul.  
 Theologos.—RR. DD. J. B. Véronneau, F.X. Jean-  
 notte, J. B. Michon, J. D. Meunier,  
 F. X. Burque, A. St. Louis, M.  
 Gill, M. Lapierre.

**Pro Congregatione de Fabricis.**

Præsidem.—R. D. L. M. Archambeault, Can. Titul.  
 Secretarium.—R. D. A. Phaneuf.  
 Theologos.—RR. DD. O. Désorcy, Can. Hon., E.  
 Lecours, A. Lemay, Oct. Monet,  
 J. B. Dupuy, J. B. Durocher, Isid.  
 Hardy, F. X. Vanasse, I. B. Du-  
 hamel, V. Gatineau, J. Noiseux,  
 F. X. Bertrand, J. Beaudry, Alv.  
 Blanchard, O. P.

---

Acta duarum Synodorum conservantur in Archivo  
 Episcopoli.

---

## MANDATUM PROMULGATIONIS.

LUDOVICUS - ZEPHIRINUS MOREAU,

Dei et Apostolicæ Sedis Gratiâ, Episcopus Sancti Hyacinthi.

### VENERABILIBUS FRATRIBUS

ac dilectissimis in Christo Filiis,

Ordini Canonicorum, animarum curatoribus, univ-  
soque Clero Nostræ diœcesis, Salutem et Be-  
nedictionem in Sacratissimo Corde Jesu.

Cum ritibus præscriptis, annuam Synodum diœce-  
sanam, duobus annis proximè elapsis, solemniter cele-  
bravimus, juxtâ sanctum et salutare Decretum Con-  
cillii Tridentini. Uberrimos pro totâ diœcesi fructus  
indè consequendos cum gaudio sanè spectantes, non  
possumus quin gratias agamus Omnipotenti Deo, qui  
Nostris desideriiis, conatibus, laboribus, Ejus gloriæ  
amplificandæ, adeò felicem exitum Bonus indulsit.  
Trementes quippè hoc opus Nostri muneris Episco-  
pali suscepimus ; sed quod arduum Nobis apparebat,  
facile, jucundum et maximè consolatorium postea  
evasit, opitulante gratiâ divinâ, et secundantibus ves-  
tris conatibus sollicitis. Sustulistis omnes, fratres et  
filii carissimi, hoc onus vestrum super vos ; imò onus  
Domini Nostri Jesu Christi suave jugum suum affir-  
mantis, et onus suum leve : suave quidem fuit vobis

obedientibus jugum, et leve onus vobis amanti-  
 nihil enim est durum amanti. Orationi et labori ins-  
 tantes fuistis; quare divina Patris Luminum bene-  
 dictio copiosa descendit super sacras congregationes  
 Nostras, in quibus religio, pietas, pax et concordia,  
 charitas fraterna, pia æmulatio pro reformatione morum,  
 et salutaris disciplinæ firmamento, ardensque studium  
 pro sanctificatione animarum et prosperitate Nostræ  
 charissimæ Ecclesiæ S. Hyacinthi cum magnâ ædifica-  
 tione floruerunt.

Tot ac tantis cœlestibus beneficiis valdè gau-  
 dentes, Spiritui Sancto gratias agimus, qui in corde  
 Nostro firmum misit propositum diœcesanas synodos  
 celebrandi, et juxtâ Tridentini præscriptionem, quot  
 annis renovandi, ut bonum ovium Nostrarum ma-  
 gnoperè promoveatur. Has ergò, fratres carissimi,  
 salutare congregationes diligite, ubi de capite et  
 membris, de fide et pietate, de Religione et cultu di-  
 vino, de moribus et disciplinâ, de obedientiâ, de ju-  
 diciis et rebus omnibus ad benè christianèque viven-  
 dum commodis, vel necessariis, tractatur atque statui-  
 tur; eas oratione et studio diligenter præparate, eis  
 adesse studete, consilia vestra dantes, ut, pro communi  
 bono, sapientissimè Diœcesanæ administrationi con-  
 sulatur.

Has ergò, dilectissimi, Synodales accipite Con-  
 stitutiones, simul Nostras et vestras, quas, nullâ quidem  
 propositâ censurâ, sed ex commendatione obedientiæ  
 observandas hodiè promulgamus; et sic eas in usum  
 inducite, ut, quemadmodùm omnium jàm sunt per  
 eformationem, omnium abundantius fiant per obe-  
 dientiam.

Insuper hanc peropportunam nacti occasionem, pro



munere Nostro ea omnibus vobis in mentem revocamus, quæ Constitutiones Apostolicæ statuerunt. Palàm igitur hìc cum Patribus primi hujus Provinciæ Concilii, profitemur, quòd toto animo adhæremus omnibus et singulis Apostolicis Constitutionibus, sivè de fidei expositionibus ac declarationibus, sivè de moribus ac disciplinâ tractent, quæ universalem Ecclesiam respiciunt ; necnon et singulis decisionibus quas S. Pontifex atque S. Congregationes Romanæ, Ipsius auctoritate vestitæ, circà quæstiones ad spirituale bonum animarum in his regionibus spectantes, jàm protulerunt vel in posterum proferent ; atque declaramus et docemus eas ab omnibus Nostræ dioceseos clericis et fidelibus tenendas esse, velut credendorum normam et conscientiæ regulam, independenter prorsùs ab omni potestatis sæcularis sanctione.

Agite itaquè et vos, sacerdotes et clerici, ponite lucernam vestram super candelabrum, ut omnes vobis concrediti lumen videant. In omnibus præbete vosmetipsos exemplum bonorum operum in doctrinâ, in integritate, in gravitate, in verbo et conversatione, in charitate, in fide et castitate, ut profectus vester manifestus sit omnibus.


Post hæc, fratres filii que carissimi, in hoc quarto anniversario Nostræ Consecrationis Episcopalis, vos omnes salutamus in osculo sancto. Gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, et Deus dilectionis sit vobiscum, Cujus invocato nomine, paternam benedictionem vobis peramanter impertimur, Eum enixè rogantes, ut pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras, et ut gratia J.-C. et communicatio S. Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

His de causis, SS. Nomine Dei invocato, et de consilio Venerabilium Fratrum Canonicorum Nostræ Cathedralis Ecclesiæ, Sequentia statuimus :

1. Constitutiones in primâ et secundâ synodo S. Hyacinthi publicatas nunc promulgamus, et eas vim legis habere tum à clero, tum à fidelibus Nostræ Diœcesis observandæ declaramus.

2. Volumus insuper et mandamus ut unusquisque de clero Nostræ diœceseos exemplare harum constitutionum apud se habeat et in omnibus servet.

Datum apud S. Hyacinthum, ex ædibus Nostris Episcopalibus, sub signo Nostro sigilloque Nostræ Diœcesis ac assistentis secretarii Nostri subscriptione, anno Domini suprâ millesimum octingentesimo octogesimo, die Januarii decimâ sextâ.



† L. Z. EPISCOPUS S. HYACINTHI.

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi S. Hyacinthi.

A. X. BERNARD, Can.  
Asst. Secretarius.

# CONSTITUTIONES SYNODALES

---

## **De Conciliorum Provincialium Quebecensium promulgatione.**

Omnia et singula quinque priorum hujus Provinciæ Quebecensis Conciliorum Decreta, à Sanctâ Sede revisa et recognita, jàmque à Nobis et Prædecessoribus Nostris promulgata, iterùm in hâc Synodo, solemniter promulgamus, eaque Nostrâ in Diœcesi vim legis habere et omninò servanda esse declaramus.

Ne verò quæ in illis Conciliis sunt salubriter sancita, per incuriam in oblivionem veniant, volumus ut omnes in Sacris Ordinibus constituti exemplarium supradictorum Decretorum apud se habeant, illudque semel in anno, unà cum hisce Diœcesanis Constitutionibus diligenter perlegant.

## **De Jurisdictione.**

Qui præest ecclesiæ, sive sit Vicarius, sive Administrator, sive titulo Parochi condecoretur, Dei villicus est habendus, cui concredita est pars

Dominicæ vineæ excolenda. Quoniàm ejus munus est subditorum curam gerere [conc. Trid. Sess. 23. de reform. 1], sciat se pro animabus rationem esse redditurum. Sit ergò utilis et fidelis, in omnibus laborans opus faciat Evangelistæ, et ad ministerium Christi tum validè tum etiam licitè implendum suam cognoscat jurisdictionem quam nunc definimus.

1. Tota hæc Diœcesis, per diversa decreta Ordinariorum, in veras parochias territorio distinctas divisa est.

Undè quicumque vacanti parochiæ præficitur, eo ipso nomen atque munus veri et propriè dicti Parochi obtinet, nisi per expressam Episcopi declarationem de contrario constet.

2. Quamvis haud dubium sit jus patronatûs, servatis servandis, in hæc regione, non secùs ac in cæteris orbis catholici partibus, acquiri posse, certò constat nunc temporis nullam in hæc Diœcesi existere parochialem ecclesiam hujusmodi juri subjectam; ac proindè ad Ordinarium omninò spectare quidquid ad parochorum nominationem attinet.

3. Juxtà disciplinam, quæ utilior judicata, ab ipsis Ecclesiæ Canadensis incunabulis viguit, omnes hujus diœceseos parochi sunt amovibiles ad nutum Episcopi, qui tamen, secundùm Ecclesiæ mentem, debet et intendit istam potestatem non exercere, nisi quatenùs necessarium aut saltem perutile coràm Deo agnoverit.

4. Parocho, vi suæ canonicæ institutionis, *ordinaria*, in foro pœnitentiali seu interno, confertur *jurisdictio* ergà parochianos suos, quibus valet ubiquè terrarum

Pœnitentiæ sacramentum ministrare. (Bouix: de Parocho part. I. sect. 3. c. v.). Tenetur ex officio confessiones parochianorum suorum excipere, quoties cumque ipsum adeunt, vel infirmitate detenti eum personaliter vocant, neque potest vicarium in his casibus sibi substituere, nisi ipse legitimo impedimento excusetur.

Parochiani autem nequaquam parochum suum adire tenentur, neque ut alium confessarium adeant ipsius permissione indigent, etiam tempore Paschatis; quorum libertatem in hoc puncto directè vel indirectè opprimere nefas esse non semel deciaravit pia Mater Ecclesia.

5. Quamvis Parocho non competat jurisdictio fori externi (Bouix. de Parocho. p. I, sect. 2. c. v.), quæ potestatem includit leges ferendi, sententias juridicas pronuntiandi, censuras infligendi, dispensandi in legibus, juramentis ac votis, jus tamen plenum habet parochiam sibi commissam administrandi, servatis legibus communibus et particularibus, quas in decreto XV Conc. II Quebecen. eximiâ brevitate, doctrinâ et prudentiâ consignatas assiduè meditari debet et diligenter servare; quibus diœcesanas regulationes addere non omittat.

Hic enumerare sufficiat præcipua officii parochialis munia, quæ sunt: residentia, oratio, ac præsertim S. Sacrificii oblatio, Verbi divini prædicatio, Sacramentorum administratio, christiana juventutis educatio, paterna delinquentium correctio, solidæ pietatis augmentum, pia infirmorum cura, visitatio sui gregis, sollicitudo circà pauperum necessitates, etc., etc.

6. Nemini licet, excepto Episcopo, Vicarioque ejus Generali, ac sacerdotibus ab alterutro deputatis, func-

tiones ullas ecclesiasticas, absque Parochi consensu expresso aut saltem rationabiliter præsumpto, exercere vel in ecclesiâ parochiali, vel in oratoriis ipsi subjectis ; parochus autem, cuilibet sacerdoti ad hoc per Episcopum approbato, suprâdictas functiones committere potest.

7. Ex probatis auctoribus, accuratè dignoscat parochus quænam sint jura parochialia, scilicet ea quæ ad ecclesiam parochialem, vel ad parochum exclusivè pertinent, quænam verò sint functiones pro quibus aliam ecclesiam vel alium sacerdotem parochiani liberè possint adire, ne transgrediendo jurium suorum limites, jugum iniquum imponat, et strictæ injustitiæ reum se constituat.

8. Administrator seu œconomus qui, mortuo vel absente parochi, deputatur ab Episcopo ad regendam parochiæ curam, eadem jurisdictionem obtinet ac parochus propriè dictus, excepto quod ejus potestas, utpotè delegata, non valeat extrâ diœceseos limites exerceri. Non deputatur nisi ad nutum Episcopi, et donè eum revocet.

9. Vicarii parochiales ab Episcopo deputantur ad juvandum Parochum in parochiâ degentem et eam administrantem. Non proprio nomine curam habent animarum, sed tanquàm parochum juvantes vel repræsentantes (Conc. II Queb. dec. XV), in munere pastoralis ipsismet commisso. Ex ipsâ eorum deputatione ad nutum Ordinarii revocabili, possunt sub regimine proprii parochi, ministrare omnia sacramenta, Verbum divinum populo annuntiare, Missæ Sacrificium celebrare, aliasque functiones sacras ministerii exercere.

Vi autem istius deputationis vicarii subdelegare non possunt exercitium functionum parochialium, pro quibus *jurisdictio*, strictè loquendo, est necessaria; attamen absente parochus, possunt in casibus particularibus alium sacerdotem constituere ad assistendum matrimonii parochianorum, et in paræciâ celebrandis.

Quoad alias functiones, pro quarum exercitio simplex parochi permissio, sive expressa, sive tacita sufficit, possunt Vicarii, si absens sit parochus nec præsumatur invitus, aliquem constituere ad causas particulares.

Vicarii nullam habent jurisdictionem extrâ limites parochiæ ad quam deputantur, nisi facultatem ad hoc expressè obtinuerint; possunt tamen, cum sui parochi licentiâ, sublevare vicinos parochos vel administratores, causâ morbi aut absentiæ sacri ministerii incapaces, in quorum paræciis ipsi parochus jurisdictione delegata competit.

Vicarii debent cum reverentiâ et subjectione ergâ parochum sese habere; nihil, ipso invito, muneris obire, nisi, ob graves causas, aliter ab Episcopo statutum fuerit. Curent quantum fieri potest, ut uniformem cum parochus agendi rationem teneant; nimia enim inter utrumque, quoad sacri ministerii praxim, discrepantia in destructionem potiùs vergeret quàm in ædificationem. Summoperè etiam caveant, ne verbis aut factis parochum in mente fidelium immnuant, sed in omnibus modestè, sicut decet, sese gerentes, cum diligenti curâ, fidei populo salutis adjumenta præbeant (II Conc. Queb. dec. XV).

10. Canonicis Nostræ Cathedralis Ecclesiæ, necnon et presbyteris sive aggregatis, sive auxiliariis Majoris Seminarii S. Hyacinthi, Parvi Seminarii SS. Nominis Mariæ *de Monnoir* et Collegii SS. Cordis Jesu *de*

*Sorel* jurisdictione in foro pœnitentialem delegata, sicut et facultas prædicandi, pro totâ diœcesi conceditur.

11. Ex universali consuetudine, omnis sacerdos habens jurisdictionem sive ordinariam, sive delegatam in aliquo territorio, potest ibidem sacramentaliter absolvere quoslibet advenas ad se venientes, etiam tempore paschali.

12. Juxtâ veterem hujus regionis disciplinam, parochus, etiam alterius diœcesis vicinæ, potest prædicare et absolvere in parochiis hujusce diœceseos, quæ non majori quàm novem milliariorum seu trium leucarum spatio distant ab extremitate suæ parochiæ. Ubi verò flumen interfluit, vel interest lacus vel sinus, littora censentur sese mutuò immediatè tangentia. Parochus verò diœcesis S. Hyacinthi jurisdictionem in alterâ diœcesi non exercebit, nisi juxtâ concessionem generalem vel specialem Ordinarii, de quâ inquirere tenetur. Regula Dec. VII Conc. III Queb. non extenditur ad vicarios.

13. Tempore jubilæi, vel XL Horarum, vel missionis, vel exercitiorum spiritualium, vel novendialis, vel octavarum festi Titularis aut Dedicationis ecclesiæ parochialis, vel indulgentiæ plenariæ, vel etiam concursus pro aliquâ confraternitate, v. g. temperantiæ, scapularis, Propagationis Fidei, etc., etc. parochus vel, eo absente, vicarius senior præsens, potest invitare, ad prædicandum et ad audiendas confessiones, quoscumque presbyteros in aliquâ parte hujusce diœcesis actualement jurisdictionem prædicandi et absolvendi habentes.

14. Omnis sacerdos pro quâcumque parte hujus



diœcesis approbatus, et quamdiù manet approbatus, potest ubiquè intrà diœceseos fines sacramentaliter absolvere presbyteros vel clericos etiam solâ tonsurâ insignitos. Sed ergà eosdem facultates extraordinarias nullatenùs exerceat, nisi in iis casibus in quibus ergà cæteros fideles illas exercere posset, vel quatenùs pœnitens ad sacramentum administrandum vel ad sacrum ordinem exercendum teneretur antequàm ad superiorem posset recurrere.

Eadem jurisdictio elargitur in favorem famulorum et ancillarum atque aliarum personarum in domo parochiali domicilium etiam ad breve tempus habentium.

15. Concedendo ut suprâ licentiam prædicandi et confessiones audiendi, non intendimus largiri facultatem absolvendi à casibus reservatis, pro quorum absolutione omninò specialis dispositio existit in Decreto XIII Conc. V Quebecensis.

Pro nullo quoque casu confessariis facultatem elargimur complices in peccato turpi absolvendi, juxtà tenorem Bullæ Benedicti XIV, quæ incipit: *Sacramentum Pœnitentiæ*. Præterquàm enim quòd talis absolutio est nulla, absolvens incurrit ipso facto excommunicationem majorem Summo Pontifici reservatam. Sola excipitur extrema necessitas, nempe, si in ipsius mortis articulo alter sacerdos desit etiam non approbatus, qui absolutionem dare possit, et si nequeat ille alius sacerdos vocari vel accedere sine gravi infamiâ vel scandalo. Tenetur tamen confessarius complex talia pericula infamiæ aut scandali avertere, si possit.

16. Nullus presbyter prædicare aut absolutionem sacramentalem concedere præsumat, nisi ad hoc ordi-

nariam aut subdelegatam habeat facultatem. Si tamen periculum mortis immineat, approbatusque desit confessarius, quilibet sacerdos potest à quibuscumque censuris et peccatis absolvere (Rit. Rom.).

### **De applicatione Missæ pro populo.**

1. Ecclesia parochos instituendo, eisque pastoralementem curam quæ plenariè in Episcopis residet communicando, ad ipsos etiam extendit obligationem, quæ de jure divino Pastoribus incumbit Sacrosanctum Missæ Sacrificium pro plebe sibi commissâ offerendi; quam obligationem affixit omnibus diebus, quibus obligatio missam audiendi fideiibus ipsis incumbit, juxtâ Const. *Universa per orbem* Urbani VIII, 13 sept. 1642.

2. Tollendo autem pro fidelibus obligationem nonnullis diebus audiendi missam, nunquàm intendit illos privare fructu S. Sacrificii per Pastores suos offerendi (Pius IX in Encyclicâ: *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858), nisi constet per expressam S. Sedis concessionem obligationes ipsorum Pastorum fuisse diminutas.

3. In hâc nostrâ Provinciâ, Parochi, ex Indulto Apostolico (7 Martii 1819), tenentur missam pro populo celebrare *omnibus et solis* diebus quibus fideles eam tenentur audire; in cæteris festis abrogatis, debent specialiter orare pro populo (Conc. I, Queb.).

4. Obligatio celebrandi missam pro populo, diebus præscriptis, est personalis ac realis, et in propriâ Ecclesiâ per missam sive cantatam, sive privatam adimplenda, nec contrâ eam valet ulla consuetudo etiam

immemorialis : ità ex pluribus S. Sedis decretis ; excepto tamen casu necessitatis, et recurrente causâ canonicâ (S. Cong. Conc. 25 Sept. 1847). Undè si Missam Solemniorem non cantet, et possit tamen Missam privatam in parochiali Ecclesiâ celebrare, debeat quidem alteri cantandam missam demendare ; at non poterit in illum onus transferre offerendî pro populo.

5. Quod si, diebus festis, et justâ de causâ, extrâ ecclesiam suam celebret parochus, expedit ut, per alium cui stipendium congruum ab ipso præbebitur, missa, in ipsâ Ecclesiâ, pro populo celebretur. Si verò hoc fieri nequeat, obligationi satisfaciet, missam, in quocumque loco, juxtâ illam intentionem, celebrando. Si tandem à celebrandâ missâ sit impeditus, teneatur vel alium sacerdotem, ipsâ die, sibi subrogare, vel, si id fieri non possit, quamprimùm supplere quod fuit omissum.

6. Vacantis parochiæ Administratori incumbit supradicta obligatio, non secùs ac si esset parochus (Bened. XIV, in Bullâ *Cum nuper*, No. 103 in suo Bullario).

### **De Verbi Dei Prædicatione.**

1. Inter præcipuas sacerdotalis officii sollicitudines jure optimo recensetur Verbi Dei prædicatio. Cùm enim omnia assequendæ salutis adjumenta pendeant à Fide, et Fides ab auditu, et auditus fiat per verbum Christi, fideles credere non possunt nisi audiant, nec audire sinè prædicante. Itaque omnibus animarum curatoribus scriptum est quod scripsit Apostolus Timotheo : *Prædica verbum, inusta opportune,*

*importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientiâ et doctrinâ* [2 Tim. IV, 2.].

2. Maxima profectò est obligatio in parochis prædicandi Verbum Dei ; deducitur ex Tridentino : “ Quicumque parochiales, vel alias curam animarum “ habentes ecclesias quocumque modo obtinent, per “ se vel per alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, “ diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes “ sibi commissas, pro suâ et earum capacitate, pascant “ salutaribus verbis” [Sess. 5, cap. 2.] ; constat quoque jure divino [Sess. 23, cap. 1.].

Graviter ergò peccant parochi, qui per tempus notabile, videlicet, sive per unum mensem continuum, sive per tres menses non continuos seu in anno divisos, nec per se, nec per alios prædicant. Nec obligationi satis illi faciunt, qui prædicationem agunt capacitati audientium minimè proportionatam, aut qui nullam vel ferè nullam præparationem præmittentes, ità loquuntur, ut omnia sinè ordine, multa inutilia, alia falsa proferentes in auditoribus fastidium, in sanctum ministerium contemptum excitent.

3. Præter eos, inquit S. Leo Magnus, qui sunt Domini sacerdotes, nullus sibi prædicandi jus audeat vindicare. Nullus tamen ex clero, nisi mittatur, concionem è suggesto habere potest ad populum ; qui enim non missus prædicat, præsumptor est. Exceptis igitur parochis intrà suarum parœciarum fines et eorum adjutoribus, nemini licet in Nostrâ diœcesi prædicare sive publicè in ecclesiis, sive privatim in oratoriis, nisi priùs à Nobis vel à Vicario Nostro Generali specialem licentiam consecutus fuerit.

4. Concio ordinariè habeatur post Evangelium cantatum. Antè eam annuntientur populo, quæ pro futurâ septimanâ scitu necessaria habeat, videlicet festa vel jejunia occurrentia, indulgentiæ, proclamationes bannorum pro nuptiis contrahendis, et alia ad religionem seu ecclesiæ bonum pertinentia.

5. Quod verò pertinet ad ea, quæ à Concionatoribus pertractanda sunt, ut eorum sermones veram populo afferant utilitatem, meminerint ipsi, atque attentè considerent, totam vim et rationem salutaris doctrinæ contineri in Symbolo Apostolorum, Sacramentis, Decalogo et Dominicâ oratione. Explanentur quoque populo sacre liturgiæ ritus, devotio ergà B. M. V. et sanctos, præcipuæ anni solemnitates, indulgentiæ, aliaque adminicula, quibus Ecclesia, uti mater, filiis suis viam ad salutem sternit et faciliorem et magis tutam. Instanter concionatores hortamur, ut exponant atque probent Ecclesiæ institutionem, ejusque naturam, proprietates et notas, ac prætereà quæcumque Ipsa docet, ac imprimis ea quæ de necessitate mediæ ad justificationem sunt necessaria. Nil populo jucundiùs, nil utiliùs, præsertim hisce temporibus, quàm illustratio *dogmatica* harum veritatum, juxtà normam Catechismi Concilii Tridentini. Sancta semper et proficua erunt talium concionum argumenta, atque eò tendent, ut fidelium mores reformentur, mens instruatur, et studium pietatis promoveatur.

6. Hæc omnia ordinatim tradantur populo, diebus dominicis, Festis Solemrioribus, aliis temporibus opportunioribus, et, quantum fieri potest, bis in hebdomadâ, tempore Quadragesimæ. Curent omninò divini eloquii præcones, ut legendo et meditando, et,

si tempus ferat, etiam scripto præparent diligenter conciones. Studeant ut sermo non sit nimis protractus, sed clarus, distinctus, castigatus quidem, rudibus tamen intelligibilis.

7. " In concionibus verò, à rebus politicis, quæstionibus et controversiis inter sæculares agitatis, sedulò abstineant; de propriis querelis et acceptis injuriis non disserant; vitia, *non personas* insectentur; neminem personaliter lædant, sed veram Dei æmulationem habentes, nec sua, sed quæ sunt J. C. quærentes, ea tantùm quæ decent sanam doctrinam loquantur " [Conc. II Queb.].

De stipendiis suis, cujuscumque generis, occasione concionis, vel quovis alio prætextu, è suggestu vel altaris loco, non nisi rarò et verâ necessitate coacti, verba faciant. Caveant à decipiendis et opprimendis fidelium conscientiis regulas arbitrarias aut dubias imponendo tanquàm certas; nec tanquàm lethalia peccata facilè, quædam damnent, quæ non sint *certo* talia.

8. Cæterùm, ut sermo Dei uberes afferat fructus, necesse est prædicare non solùm verbis, sed et *exemplo*. Cœpit Jesus *facere* et docere. Tales igitur se præbeant innocentia vitæ, studio religionis, omniumque laude virtutum, ut, ex Hieronymi monito, et opus sermone, et sermonem compleant operibus. Gravitas, modestia, abstinentia, solitudinis amor, populi reverentiam ac fidem ergà eos conciliabunt.

9. Cùm autem neque qui seminat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat *Deus*, è fontibus Salvatoris hauriendæ sunt aquæ sapientiæ salutaris. Adlaborabunt concionatores velut cymbalum tinniens,

si viribus confidunt eloquentiæ suæ, et, nisi eloquatur Deus in cujus manu sunt, et nos, et sermones nostri. Pietate magis orationum, quàm oratoriâ facultate se aliquid posse fateantur, ut orando pro se ac pro illis, quos sunt adlocuturi, sint oratores antequàm doctores [St. Aug. de doct. Christ.]. “Nos verò *orationi* et ministerio Verbi instantes erimus” [Act. VI, 4.].

### De Cathesesi.

1. De gravitate et necessitate muneris catechetici sic habet Tridentinum : “Iidem [Episcopi] etiam, “saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueros in “singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam “ergà Deum et parentes, diligenter ab iis ad quos spectabit, doceri curabunt ; et, si opus sit, etiam per “censuras ecclesiasticas compellent : non obstantibus “privilegiis et consuetudinibus” [Sess. XXIV. c. 4. de ref.]. Quòd istud munus spectet ad parochos sequitur ex alio Tridentino decreto [Sess. V.c. 2.]. Undè ad officium parochi pertinet, parochianos suos in prædictâ doctrinâ christianâ erudire ; et sic mortaliter peccabit parochus qui nimium negligens fuerit in hujusmodi doctrinâ christianâ edocendâ [Barbosa. de officio Parochi, apud Bouix. p. 601].

2. Hanc tam gravem obligationem denuò inculcantes et decretis Patrum Quebecensium inhærentes, hortamur et mandamus omnibus et singulis Nostræ diœceseos parochis, eorumque conscientias oneramus, ne quandoque hâc in parte muneri suo cum maximo animarum detrimento desint ; sed ut, singulis diebus dominicis, integro anni cursu, quoad possibile sit, in quâque parochiali ecclesiâ [Conc. I. Queb. dec. XII],

unam circiter horam, tempore pomeridiano, institutioni catecheticae impendant, nec tantum pueros et puellas, sed etiam adultiores convocent, imò patres matresque familiâs invitent, ut defectus necessariae scientiae, quae fortè in primâ aetate praetermissa vel per oblivionem oblitterata est, jam in adultiore suppleatur.

3. Huic parochorum muneri correspondet altera fidelium obligatio, quâ quilibet parochiae interesse tenetur, ad audiendum verbum divinum, legem Dei, fidei rudimenta, morumque doctrinam, quae ibi in catechesi annuntiantur.

4. Quum uniformitas, etiam in modo doctrinae christianae tradendae, maximè optanda sit, decernimus ut catechismi, gallico et anglico sermone scripti, atque à Patribus Conc. I. Queb., approbati, pro omnibus christi fidelibus diocesis usu serventur.

5. Hanc catechesin in ecclesiâ parochiali parochi per seipsos aut vicarios habere tenentur, nisi sint legitime impediti, vel ob singulares locorum rationes aliud quid per Ordinarium statutum sit.

6. Huic in ecclesiâ singulis dominicis habendae adjungenda et à rectoribus animarum habenda est catechesis in scholâ puerorum; et quidem adeò ut, si plures scholae in parochiâ existunt, certè quavis earum alternâ vice frequenter visitetur. Attentè dabunt operam pastores, ut in illis pueri ac puellae, quotidie, per dimidium horae spatium, in rudimentis fidei antè omnia instruantur. Ludimagistro autem soli explicationem catechismi non relinquunt: esset enim muneris pastoralis gravissimum officium derelinquere.



Ludimagistri sunt adjutores, parochi autem primarii Ecclesiæ officiales in munere catechetico.

7. Omni sollicitudine animarum pastores pueros de modo confitendi peccata, deque necessariis conditionibus pro salubri confessione instituant, eosque ad annuam confessionem teneri, ut primùm ad annos discretionis pervenerint, explicare haud negligant. Advigilent ut idipsum parentes expleant circa filios, et negligentes paternè admoneant.

Curent demùm ut primâ vice ad sacram synaxim accessuri, ritè sint parati, atque ad dijudicandum Corpus Domini facti fuerint idonei [Conc. I. Queb. dec., XII.]. Idcirco, communionem appropinquante, per catecheses pluriès in hebdomadâ repetitas, durantibus circiter duobus mensibus, ardenti zelo instituantur.

Præter publicas illas catecheses, multæ occasiones rectoribus animarum se offerunt, ubi fideles ipsis commissos, etiam *privatim* in religione ejusque officii instituere non solùm possunt, sed debent. Præ omnibus tenentur eos *privatim* monere et docere, quos sciunt illa ignorare quæ scitu necessaria sunt necessitate medii et præcepti, vel in fide periclitari.

8. Benè et fructuosè catechisare, non parva sed potius magna et ardua res est. Agitur enim de tradendâ cœlesti doctrinâ D. N. J. C., agitur de infundendis mysteriis grandissimis in vasa tenerrima et infirmissima, ità ut minima capiant maxima et summa. Caveant igitur quicumque erudiendæ juventuti præpositi sunt, ne perfunctoriè, perpetuo recitationis circulo, ac quasi pro formâ hoc munere fungantur [Conc. II. Queb. dec., XV. n. 10]; sed precibus simul ac

labore curandum, ac indesinenter nitendum est, ut audiant pueri ac puellæ, et quæ audiverint intelligant atque corde percipiant, et sic intellecta opere compleant; ità quidem, non aliter salvari poterunt et qui docentur, et qui docendi munus in se susceperunt.

9. Ad uberiorem è catechesi reportandum fructum, et alliciendos parvulos, ut cum gustu et jucunditate tanquàm convivium, christianam doctrinam frequentent, sequentia documenta omnes catechistæ diligenter observent :

*a* Facie serenà, hilari et jucundo aspectu parvulos aspiciant.

*b* Non facilè reprehendant, ne ad tristitiam aut abjectionem animi eos adducant; omnes verò eâ dexteritate laudare satagant, ut singuli majorem animum capientes ad discendum alliciantur.

*c* Caveant ne solummodò ament, qui indole, ingenio, et moribus alios antecellunt, sed morosos et durioris ingenii [sine acceptione personarum] magis excolere studeant.

*d* Varia munuscula, quæ pueros delectant, discretè benè meritis distribuant, etiam assiduè venientibus.

*e* Non multa sed multùm amœnissimè et modo elucidissimo discant; undè quod est dicendum summâ curâ præparandum est, ut verba sint clara, considerata autem in quibusdam rebus, sint concinna, ad captum puerorum accommodata, et ità penès dicentis arbitrium disposita, ut, si dùm proferuntur, minùs benè intelligi videantur, statim meliori modo variari queant.

*f* Durantibus explicationibus catechumeni interrogandi sunt, modò sagaciores, modò obtusiores, modò diligentiores, modò negligentiores, explorandi causâ,

nùm quæ audierint satis intellexerint et animo impresserint, omnium excitando æmulationem et attentionem.

g<sup>o</sup> Ordinem disciplinæ obtineant integerrimum.

10. Instanter in Domino hortamur omnes ecclesiasticos, præsertim qui sunt in curâ animarum, ut, majori usque alacritate, prout temporum ratio postulat, in christianæ plebis institutionem incumbant, ne lamentatio Prophetæ in eos cadat: "Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis." Semel enim catechetico munere despecto, nulli in parœciâ mores, nulla religio, nulla fides; cùm sinè tali instructione neque ipsa christiana vita institui possit.

11. Quò autem lubentiùs ad catechismum fideles accedant, quotiès comparuerint, quadraginta eis Indulgentiarum dies potestate Nostrâ ordinariâ relaxamus. [Paulus V. Constitutione "*Ex credito nobis*," et Clemens XII. 27 junii 1735, multis Indulgentiis locupletaverunt tùm catechistas, tùm eos qui catechisantur.]

12. Meminerint catechistæ omnes æternæ mercedis labores suos magnificentis: "Qui ad justitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellæ in perpetuas æternitates" [Dan. XII. 3.]. Hinc non absre Sanctus innuit Hieronymus, catechisandi munus, si ritè peragatur, signum esse prædestinationis.

### **De Cognitione Parochiæ.**

1. Præcepto divino mandatum est, quibus committitur animarum cura, oves suas cognoscere, ut videlicet unicuique præstare possint congruam sollicitudinis

mensuram. Quarè, ut in eo illud Domini verificetur : “Cognosco oves meas et cognoscunt me meæ” [Joan. X. 14.], curet parochus cognoscere : 1. Numerum parochianorum, ut sciat pro quot animabus rationem sit redditurus. 2. Communem eorum statum quoad temporalia : qui nempè divites et qui inter hos misericordes ; qui pauperes eleemosynis juvandi ; qui orphani, protectionis auxilio juvantes ; qui ægrotantes senioque confecti, temporali misericordiâ indigentes. 3. Eorum indolem, ingenium et capacitatem. 4. An in fidei et morum doctrinâ rudes et ignari, an autem et quantum instructi ; an et multi officia Ecclesiæ præsertimque sacramenta negligentes. 5. Vitia ad quæ magis propensi sint ; vitia enim sunt quæ passim serpunt, et in quibus extirpandis peculiariter elaborare debet pastor, ut ebrietas, luxus, frequentatio peccaminosa adamantium, blasphemiæ, juramenta, detractiones et calumniæ, incuria parentum ac dominorum circa proles et domesticos, negligentia in frequentandis officiis divinis et instructionibus aut suscipiendis sacramentis, etc., etc., etc. [Litt. Episc. 16 Januarii 1879]. Ad hæc enim advertit prudens pastor, ut communium malorum radices evellat.

2. Præter generalem hanc parœciæ cognitionem, accuratè comparetur cognitio quædam specialis singulorum subditorum. Quem scopum ut attingat quisque parochus, singulis annis, tempore opportuno [Conc. Queb. II. dec. XV. n. 30], singulas familias visitare aggrediatur, ut sciat quot ibi adsint communicantes, confirmati, catechisandi, aut ad instructiones catechisticas admittendi ; atque de singulis familiis suas faciat adnotationes. Ad hoc habeat specialem librum *Status animarum*, secundum formam in Rit.

Rom. descriptam, qui reponi debebit in archivo parochiali, et in quo describet singulas domos per patrem et matrem familiâs, liberos secundum ætatem, famulos, ancillas, alias personas ibi commorantes, et omnes qui speciali auxilio indigent. *Die Dominicâ præcedenti* populo annuntiare utile erit partes parochiæ per hebdomadam successivè visitandas.

3. Verùm sit in eâ visitatione omninò prudens; non interroget curiosiùs; nullum habeat de rebus politicis vel partium studio sermonem; neque se temerè immisceat rebus temporalibus familiarum; neminem corripiat ex aliorum narrationibus, sed singulos paternè audiendo, secundum propria effata sua, si negligentes invenerit, excitet; si inimicos, reconciliet; si tristes, consoletur; si bonos et pios, confirmet; si infirmos in fide, benignè suscipiat; si ægrotos, ad christianam patientiam provocet; omnibus tandem temporaliter vel spiritualiter indigentibus ipse pro viribus opituletur, et alios suo hortatu ad id officium incitare studeat.

4. Sit etiam pastor et pater omnium, non verò quorundam tantùm quibus familiariter, neglectis cæteris, uteretur. Charitati, quâ omnes prosequi debet, plurimùm nocet nimia cum paucis familiaritas.

5. In immutandis usibus, vel tollendis abusibus, magnam adhibeat parochus cautelam, nec quidquam alicujus momenti aggrediatur, nisi consulto Episcopo [Conc. II. Queb., dec., XV].

6. Juxtà decretum XV Conc. I. Queb. quotannis antè calendas septembris, unusquisque Parochus ad Episcopum dirigere debet relationem de statu suæ parochiæ. Anno autem quo fit in aliquâ parochiâ

pastoralis visitatio, anticipetur relatio et Episcopo ipsi porrigatur.

Hæc relatio debet : 1. esse conformis formulæ speciali et adnotationibus in Appendice ad Rituale Romanum insertis. 2. Scribi super papyro *in quarto* cum atramento bonæ qualitatis. 3. Probare quantitates certas et non solùm proximiores populationis, statûs Fabricæ et reddituum Parochi.

### **De Visitatione et Cura infirmorum.**

1. Parochus imprimis meminisse debet, non postremas esse muneris sui partes ægrotorum curam habere (Rit. Rom.). Omni momento temporis tam diurno quàm nocturno debet esse paratus, spiritualem infirmis opem et eleemosynam subministrare, et sæpiùs populum commonefacere, ut, nullâ noctis vel tempestatis ratione habitâ, ad graviter decumbentes arcessat. Immò, si quem parochianorum periculosâ infirmitate detentum resciverit, etiam non accitus eum invisat, vel id præstandum curet per alios sacerdotes, si quos habet in suâ parœciâ ; ad id obligatur, licèt vel iter longius sit, vel via ardua, vel cœlum intempestivum, vel morbus contagiosus.

2. " Non semel tantùm," ait Rit. Rom., " sed sæpiùs, quatenùs opus fuerit " infirmus est visitandus ; sæpiùs nimirùm cum morbus gravior est, vel diuturnior, vel acerbior ; sæpiùs item cum infirmus minùs benè dispositus, et præsertim si sacerdotis ministerium respuat, vel animo dejectior aut anxior, aut gravioribus tentationibus impetitur. Cæteris paribus, omnes æquè visitandi sunt, sinè acceptione personarum, non neglectis pauperibus, quos humanis auxiliis destitutos,

per suas vel aliorum eleemosynas succurret pastor benignus.

3. Ægrotos visitans, eâ, quæ sacerdotes Domini decet, honestate et gravitate se habeat, præsertim cum feminis, ut non ægris solùm, sed sibi et aliis verbo et exemplo prosit ad salutem. Accedat ad eos ità paratus, ut in promptu habeat argumenta ad persuadendum apta, ac præsertim sanctorum exempla, quibus eos in Domino consoletur, excitet, convertat ac recreet.

4. Si morbus gravior, vel cum periculo fuerit, ægroto suadeat, ut, dùm integrâ mente est, rem suam omnem rectè constituat; si quid habet alienum restituat; debita solvat, vel curet solvi, aut saltem cautionem præbeat; pacem stabiliat; inimicis reconcilietur; testamentum justè condât, ne qua inter hæredes discordia oriatur; et ad refrigerium animæ suæ, pro facultatibus, quod in Domino ei placuerit disponat; sed hæc suggerendo omnis avaritiæ nota caveatur.

5. Licèt ex jure naturali et lege ecclesiasticâ gravis incumbat medicis obligatio ægrotos in morbis periculosis de confessione tempestivè monendi, non ideò tamen parochus à suâ curâ liberatur, cùm ipse, et non medicus, stet pro animabus sibi concreditis. Cognoscens igitur infirmitatem esse mortalem, quâ par est prudentiâ et caritate infirmum ad sacram confessionem inducat; ultima sacramenta ei ministret, et etiam pueris, modò peccati capaces fuerint, plenariam per Benedictionem Apostolicam indulgentiam impertiatur, si habeat facultatem, quæ non nisi ex Indultis temporariis obtinetur, factâ priùs, si tempus ferat, brevi admonitione de hujus benedictionis efficaciâ et virtute,

et præmissâ exhortatione ad mortem patienter obeundam in satisfactionem pœnarum pro peccatis debiturum, formam strictè servans à Rituali præscriptam.

6. Hic verò, etiam atque etiam parochos præsertim admonemus, hortamur, ut proprii officii, ac boni pastoris studiosissimè obeuntes, administrato Extremæ Unctionis sacramento, ægrotum non deserant, quin imò tunc vel maximè ei adsint, eumque adhortentur amantissimis verbis ad patientiam, perseverantiam, resignationem, orationes, actus fidei, spei, caritatis et doloris, invocationem SS. Nominum Jesu, Mariæ Joseph, meditationem passionis D. N. J. C., considerationem æternæ beatitudinis, item ad iterandam confessionem, si opus sit, et S. Communionem. Ea est sacerdotum nostræ diœcesis pietas et zelus, ut minimè dubitemus, quin ipsi, in tanti momenti re, maximam curam et diligentiam adhibeant, ac vehementer horreant se iis mercenariis comparari pastoribus, qui, imminente periculo fugiunt et gregem deserunt, vel in eo custodiendo sese desides et ignavos præbent. Frequenter perlegant Rit. Rom. præscriptiones de visitatione et curâ infirmorum, ut penitùs introspiciant spiritum nostræ Matris Ecclesiæ et ejus tenerimam sollicitudinem ergà ægrotos. Dùm post factam confessionem infirmum visitant, etiamsi ejus confessionem non exceperint, prudenter eundem iteratò interrogent, an nihil supersit, quod conscientiam angit; an perdurat bona conscientiaë dispositio, sed semper industriè, et numquàm aliis præsentibus, ne præ verecundiâ veritatem dicere non audeat; et toties infirmus est absolvendus.

7. Tempore agoniaë, dùm infirmus adhuc sensibus



viget, absolutionem pluriès ei conferre post brevem reconciliationem juvabit, ut ità ille circà statum gratiæ magis securus reddatur, si forsàn præteritæ confessiones invalidæ fuerint, aut saltem gratiæ augmentum recipiat, necnon purgatorii pœnæ ei minuantur ; et, si fortè ex tentatione in peccatum incidat, statim absolvatur. Sin autem jàm sensibus caret, et nullum doloris, nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit valdè sæpiùs intrà eumden diem absolutionem ei impertiri ; sacerdos se dirigere debet ex infirmi conscientiâ quam novit (S. Lig. Lib. 6. n. 482. —Scavini tract. 10. disp. 1. cap. 3. scholion).

8. Meminerint parochi et confessarii, ut, quantum moraliter fieri potest, ægrotos in ipso mortis articulo teneantur *per seipsos* adjuvare. Hortentur ideò parentes vel familiares, ut, cùm periculum mortis instare animadverterint, de eo parochum vel confessarium statim certiozem reddant (Rit. Rom).

Quòd si, justà de causâ, adesse nequeant, curent, ut sacerdotum vice adsint saltem personæ piæ, quæ perfectè cognoscant efficaciam, motiva, etc., etc., actûs contritionis perfectæ, commendationis animæ preces persoluturæ, et animam agonizantem orationibus et piis affectibus, vel etiam suavi exhortatione consolaturæ.

9. Quoad puerulos graviter decumbentes, qui aliquem rationis usum habent, confessarius omni suavitate rem agat circà confessionem instituendam ; neque pueris nondùm septennium assecutis suam assistentiam deneget. Possunt enim inter eos esse, in quibus malitia suppleat ætatem, et qui fors graviter Deum offenderint. Doceat parentes, ut vocent sacerdotem ne exponantur charissimæ animæ periculo damnationis,

neque facilè sibi persuadeant illos innocentiam conservasse ; constat enim nimis frequenter illos, insciis parentibus, fuisse graviter scandalizatos. Excitet in illis amorem et desiderium Dei, examinet prudenter de peccatis eorum statui propriis, præeat illos in eliciendis actibus fidei, spei et caritatis, atque præsertim contritionis et propositi. Si periculum mortis urgeat, eos absolute donatos ungere, et pro rerum conditione etiam communicare poterit.

10. Infirmis qui in periculo mortis probabili et proximo, quamvis non actuali et imminente, versantur, Viaticum opportuno tempore deferendum est. Perseverante (eodem) periculo mortis, iterari potest viatici administratio etiam non jejunis (Conc. II. Queb. dec. X), præsertim si ægrotus exposcit, et si velit, in præsidium contrà tentationes, quæ tempore mortis magis urgent. Parochus debet, quantum in ipso est, infirmos ad frequentem communionem adhortari. Hoc tamen à circumstantiis pendet, scilicet à particularibus eorum dispositionibus. Infirmus assuetus sæpiùs ex devotione communicare, bis in hebdomadâ communionem absque jejuniis suscipere potest. Faciliùs tamen hoc concedi potest infirmis religiosis, vel aliis piis personis in monasteriis degentibus.

### **De Scholis.**

Religiosa juventutis educatio ad Ecclesiam, utpotè christianorum matrem ac magistram, ex ipsâ Dei institutione spectat [Conc. II. Queb. Dec. XV. no. 24]. Meritò scholæ mater censetur Ecclesia, non solùm quia scholis christianis ortum dedit, sed ideò etiam quia ejus est continuò eas fovere et fidei spiritu im-

bucere ac nutrire. Splendescit zelus atque ardor divinus, quo pia illa mater rectam juventutis prosequitur institutionem, ex quâ vel maximè pendet prosper ejus status, civilis ordinis conservatio, hominumque salus. Gravissima proindè incumbunt parochis, qui Episcopum in hoc adjuvant, in scholas elementares officia.

1. Unusquisque parochus omnem per modum scholas catholicas in suâ parœciâ constituendas efficere, et constitutas curare, eisque ritè dirigendis ipse invigilare debet.

2. Procuret optimæ notæ ludi magistros et magistras, vitæ integritate, morum gravitate, pietatis et doctrinæ laude commendabiles.

Penès ludimagistros committi non debent scholæ puellarum vel utriusque sexûs, nisi in extremâ necessitate, et cautionibus omnibus adhibitis de eorum moralitate. Consequenter, ut parùm dispositi ad absolutionem intelligendi sunt: 1. Ludimagistri in docendis puellis pertinaces. 2. Commissarii et Inspectores, qui ad hunc finem eos suscipiunt et sustinent. 3. Parentes et tutores, qui ad eos mittunt liberos, quorum habent custodiam (Litt. Patr. Conc. II. Queb. 4 Junii 1854).

In parœciis ubi vocem non habet in commissione scholarum (parochus), maximè videtur optandum, ut paulatim Commissarii inducantur ad neminem acceptandum, ipso inconsulto.

3. In primis moneat parentes, ut liberos sedulò ad scholas publicas mittant, ne rudes adolescant, careantque religiosâ institutione, quæ illis ut impertiatur, inter

primas parentum curas esse debet. Neque enim vitæ naturalis tantùm et temporalis, sed supernaturalis etiam et æternæ parentes Deus eosdem esse voluit.

4. Curet parochus ut intelligant ludi magistrî ac magistræ, se Ecclesiæ in pueris instituendis et educandis esse auxiliâres, proindèque munus sibi commissum non modò nobilissimum esse, sed etiam gravissimum. Considerent quoque seriò, qui docendi munus exercent, Constitutionem Leonis X, in concilio Lateranensi, ex quâ pueros, sive adolescentes nedùm litteris instruere, verùm etiam docere tenentur ea quæ ad Religionem pertinent. Quamobrem, quotidie per semihoræ spatium ad minùs, pueris ac puellis Christianam Catechesin, ad normam textûs diœcesani, tradant atque explicant. Curent præterea, ut ad Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta, semel saltem singulis mensibus et solemnioribus festis devotè accedant; quotidianas scholæ exercitationes piâ aliquâ oratione inchoent pariterque concludant, antè imagines D. N. J. C. Crucifixi, ejusque sanctissimæ matris Mariæ in honoratiori scholæ loco omninò retinendas. Assiduè pueris advigilent quamdiù adsunt apud scholam, denique christianam illis institutionem non solùm verbo, sed etiam optimis exemplis procurare studeant (Syn. Ancon. 1779, p. 84).

5. Instantissimè parochos admonemus, ut scholis sibi subditis, etiam ab ecclesiâ remotis sedulò invigilent, easque frequentissimè visitent (a), ad implendam

---

(a) Les visiteurs d'écoles pour chaque municipalité sont : 1. Les membres résidents du clergé, de quelque dénomination que ce soit; mais nul prêtre, mi-

obligationem quæ ipsis incumbit, quoad hanc officii sui pastoralis partem conspicuam. Nec sibi suoque officio se satisfacisse credant, cum scholas adeuntes, ad fidei rudimenta examinanda sese restringunt; quin potius omnibus disciplinis per præceptores tradendis invigilent dispiciantque, quâ methodo utatur, quibus singula horis sint assignata, quos mores præ se ferant discipuli; eos moderentur, et doceant modestiam tum domi, tum in scholâ, summanque in ecclesiâ ergâ Deum reverentiam; exemplo Salvatoris, paternam exhibeant benignitatem gravitati sacerdotali unitam, ut pueros trahant ad semetipsos, et sibi concilient eorum venerationem, fiduciam et amorem; excitent, doceant, adjuvent ipsos ludimagistros.

6. Caveat [parochus] ne merè curiosa vel suprâ captum posita, vel quæ in vitæ decursu, levis tantum aut nullius essent momenti, pueri edoceantur. Omnium quibus pueri in scholis utuntur librorum catalogum sibi exhiberi curet; perversos, quantum poterit, procul amandet, ac si quominus eliminantur per se non stet, rem ad Episcopum referat. [a]

---

nistre, ou ecclésiastique n'aura droit de visiter aucune école, appartenant à des habitants, qui ne sont pas de sa croyance religieuse, si ce n'est du consentement des commissaires ou syndics de telle école..... Et toute personne en droit d'agir comme visiteur d'école aura pareillement le droit d'être présente aux examens faits par aucun des bureaux d'examineurs et d'interroger les instituteurs qui se présentent, et aura voix consultative. [S. R. B. C., 15, § 121, 122.]

[a] Le curé, prêtre ou ministre desservant aura le

7. " Scholas *mixtas*, in quibus scilicet pueri fidelium simul cum acatholicorum pueris promiscuè admissi, nullam vel falsam religionem edocentur, utpotè natas ad hanc impietatis luem, quæ vulgò *indifferentismus* nuncupatur, omninò periculosas judicamus. Nobis verò nihil non emoliendum erit ut catholici, jura sua retinentes, scholis sibi propriis, sicut et collegiis et universitatibus, in totâ nostrâ provinciâ fruantur." [ Conc. I. Queb. dec. XVIII]. Quapropter districtè prohibemus, ne quis ex diœcesanis Nostris pecuniâ suâ *scholis mixtis* subveniat.

In parœciis ubi scholæ catholicæ non existunt nisi *dissidentes*, sedulò invigilent parochi, ut taxationes à catholicis solutæ nonnisi ad scholas catholicas sustentandas applicentur. Quòd si in quibusdam parœciis nondùm existunt scholæ catholicæ etiam *dissidentes*, omni quâ fieri potest virium contentione, à pastoribus et parentibus est obviandum tanto malo, et cum maximâ liberalitate efficiendum, ut scholæ ibidem erigantur, nisi excuset impossibilitas moralis, de cujus existentiâ Episcopus solus judicabit, post diligentem inquisitionem.

8. Cum Patribus Quebecensibus prohibemus etiam, ne quis liberos suos ad scholas acatholicas mittat, et pastoribus animarum enixè commendamus, ut fideles, quorum cura ipsis committitur, ab istis gymnasiis *omni conatu* avocent. Itaque in locis ubi adest abusus

---

droit exclusif de faire le choix des livres qui ont rapport à la religion et à la morale, pour l'usage des écoles des enfants de sa croyance religieuse. [S. R. B. C., 15, § 65.]

vel periculum abusûs, omni ope curent parochi, ut omnibus patribusfamiliâs persuadeatur, ipsos nihil pejus de prole suâ, de patriâ, de re catholicâ universâ mereri posse, quàm ut natos suos in extremam hanc aleam immittant. Insuper ut nullus detur ignorantiae locus, explicetur populo hoc decretum XX Conc. V. Queb.: "Parentes qui liberos suos acatholicas scholas adire permittunt, absolvi non possunt qui, semel moniti, eandem tenent agendi rationem. Si tamen, propter aliquam locorum aut temporum circumstantiam, hoc videatur necessarium, et constet nullum esse perversionis periculum, *omnino requiritur Episcopi copii licentia.*" Hinc Episcopus *solus* constituitur iudex horum casuum particularium, juxtâ Instructionem S. Officii [a], et stat pro omnibus quorum interest obligatio ad eum recurrendi; **et** si quis, semel monitus, post tempus rationabiliter sufficiens obtemperare renuat, ei denegentur sacramenta.

### De Baptismo infantium periclitantium.

I. Curare debet parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, rectum baptizandi ritum probè teneant et servant [Rit. Rom. de ministro Baptismi]. Quoniàm

---

[a] An liceat parentibus liberos suos scholis mixtis instituendos committere? Emi Patres responderunt: generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus, iudicio et conscientiae Ordinarii id esse relinquendum, cujus tamen erit officii diligenter curare, ut non modò à se et à parochis, verùm etiam à singulis genitoribus opportuna remedia adhibeantur (Inst. S. Off. 17 Jan. 1866).

plures sunt casus, quibus nonnisi in extremâ necessitate deceret sacerdotes operam suam impendere, quales sunt partus præmaturi, parturitiones difficiles et abortus in omni periodo gestationis, in quibus nihilominus Baptismus conferri debet, gravissimè oneratur conscientia eorum, qui curam animarum gerunt, instruere et admonere medicos, obstetrices, et alios quorum intersit, imò et acatholicos, quos in hâc re docibiles invenire potuerint, nullam præterire occasionem animas à Christo redemptas Illi vindicandâ per Baptismum.

2. Ea igitur, quæ ad hujus sacramenti substantiam pertinent, à parochis tradenda et explicanda sunt populo diligenter, necnon et pueris, durantibus catechesibus. Sciant insuper medici et obstetrices eventus omnes qui in Rituali recensentur, ut, in casibus etiam difficilioribus, æternæ infantis saluti sit consulendum.

3. Nulla autem mulier obstetricis officium exercebit, nisi fuerit morum integritate prædita, in arte suâ commendabilis, rescripto legali munita [a], et proprio parochi examinata et probata, tradito eidem de his rescripto testimonio, sub pœnâ denegationis sacramentorum. Volumus etiam ut obstetrices, semel in anno coràm parochi, examen subeant, ut intelligatur, utrùm omnia rectè memoriâ teneant, quæ ad Baptismi validitatem requiruntur.

---

[a] Les sages femmes des campagnes devront obtenir un certificat d'un médecin dûment licencié constatant qu'elles ont les capacités requises. [S. P. Q., 42-43 Vict. c. 37, S. 17].



Eas parochi moneant: 1. ut antè omnia, cùm ad obstetricandum vocantur, vasculum aquæ parent, imò consultiùs fore ut spongiam etiam secum deferant; quod etiam præstabunt, dùm baptizandum infantem, cùm iter longius est, ad ecclesiam comitantur [Syn. Anconit. 1772]. 2. ut, in necessitate baptismum, probabili instante solùm mortis discrimine, conferendi, duas saltem præter infantuli matrem personas sacramentali ablutioni adesse curent, quæ verba prolata audiant, et modum quo res tota agitur, animadvertant (Syn. diœc. Novarien. 1826).

4. Quòd si domi, impendente necessitate, salutaribus aquis à laico intinctus infans postea vixerit, parochus diligenter, baptizantem (qui debet vel per scriptum testimonium, vel cùm infans ad Ecclesiam adducitur, vel antea parochum convenire et certiore reddere) et cæteros qui adfuerint interrogando, investigabit an Baptismus ritè fuerit collatus.

Formula examinis instituendi hæc sit: 1. Inquiratur quis baptizaverit? 2. Separatim audiendi sunt baptizans et testes. 3. Indagandum an in aquâ naturali sit facta ablutio? An in sufficienti copiâ? An forsàn in paucis dumtaxat guttulis? An in capite? An in alio corporis membro? An tangendo ipsam capitis carnem, an summos tantùm capitis capillos? 4. An nihil omissum in prolatione formæ? An expresserint hæc: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritûs Sancti?* 5. An verba formæ pronuntiata fuerint eodem tempore quo fiebat ablutio? An eadem persona formam protulerit, et aquam effuderit?

Tùm si *certissimè* constiterit omnia, quæ ad Baptismi substantiam pertinent, rectè perfecta fuisse,

præscriptas à Rit. Rom. cœremonias tantummòdò suppleat, quibus si adsint patrini, noverint se nullum cognationis vinculum contraxisse, quod oritur tantùm ex solempni ipsius Baptismi collatione. Si econtrà *certò* constet, aliquid essenziale fuisse omissum, Baptismus *absolutè* conferendus est, non secùs ac si nihil actum fuisset. Si verò prudens adhuc et probabilis dubitatio supersit de sacramenti validitate, *sub conditione* baptizet : *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc...

5. Cæterùm non est cur moneamus sacram ablu-tionem, sub eâ etiam conditionali formâ, nec temerè nec passim esse adhibendam ; id enim sinè gravi peccato et irregularitatis pœnâ fieri non posse, neminem ignorare arbitramur.

Quotiès igitur infans baptizandus parochio exhibetur, totiès ipse non omittat inquirere, an domi fuerit baptizatus.

6. Verùm quanquàm ex plurium attestazione major profectò hauriatur rei gestæ certitudo, attamen sacri canones sufficienter probatam habent collationem Baptismatis per unicum testem [*fide dignum*], præcipuè si is testificetur de facto proprio, hoc est, si affirmet, illud fuisse à se ritè administratum, nec quidquam in contrarium occurrat, quod illius testimonio fidem detrahât [Bened. XIV. Syn. Diœc. L. VII. Cap. VI. n. 4].

7. Baptismus nunquàm, sinè peccato gravi, conferri potest extrà ecclesiam, et quidem parochialem, nisi urgeat necessitas, vel ob causas graves ab Ordinario expetenda videatur, et concessa sit dispensatio.

Si sacerdos in necessitate extrà ecclesiam baptizet,

omittere debet omnes cæremonias quæ Baptismum præcedunt, etiamsi infans tamdiù victurus videatur. Ad conferendum autem Baptismum, adhibere debet aquam baptismalem solemniter benedictam, infantem in vertice ungere chrismate, imponere vestem albam et candelam accensam præbere, adhibitâ stolâ albi coloris, si hæc omnia in promptu habeat. Cùm autem convaluerit infans, præsentandus est in Ecclesiâ ; ibiquè, et *numquàm extrâ ecclesiam*, supplendæ sunt cæremoniæ omissæ, quæ Baptismum præcedunt.

Si verò laicus vel clericus diacono inferior in necessitate baptizet, ei non licet baptizare in aquâ baptismali, sed in aquâ communi, vel benedictâ pro asperzione fidelium ; debet etiam ab omnibus cæremoniis abstinere [Dec. S. R. C. 23 Sept. 1820.—Baruff. tit XI. n. 59.—apud de Herdt, S. Liturg. praxis. T. 3. de Baptismo].

Cæremoniæ omissæ, sive antè, sive post collationem Baptismi, supplendæ sunt secundùm ordinem proprium à Rituali Romano datum.

### **De Stipendiis Missarum.**

Ecclesia Christi Sancta stipendium, occasione Sacrificii Eucharistici, accipi à sacerdote celebrante permittit. Fideles hoc modo eleemosynam offerendo, ut applicationem fructûs specialis Missæ sibi obtineant, aliquam partem obligationis implent, quæ ipsis incumbit, providendi sacerdotum pro illis laborantium sustentationi. Attentâ autem temporum locorumque varietate, Summi Pontifices Episcopis jus tribuunt quantitatem istius stipendii prudenter determinandi.

Ut igitur præcaveantur abusus, qui nonnunquàm circâ hanc tam gravis momenti materiam irrepserunt,

leges sapientissimè à SS. Pontificibus sancitas volumus diligenter observari, necnon et regulationes diœcesanas ipsiis adjunctas :

1. Tot celebranda sunt ex obligatione justitiæ strictæ sacrificia, quot accepta sunt stipendia. Si tribuens eleemosynam numerum Missarum celebrandarum non præscripserit, tunc tot Missas oportebit celebrari quot præscripserit Ordinarius secundùm morem loci [S. C. C. sub Urbano VIII].

2. Notabilis dilatio sufficit ad peccatum mortale. Imò tempus brevissimum aliquandò ad id satis erit, si gravis et urgens sit causa, v. g. : si agatur de obtinendo felici partûs imminentis successu, vel de sanatione infirmi graviter decumbentis. Faciliùs excusabitur dilatio si missa celebranda sit in gratiarum actionem pro beneficio jàm accepto, quàm ad obtinendum necessarium vel perutile beneficium ; item si offerens intendat sublevare animas Purgatorii in gene, quàm si exoptet refrigerium obtinere pro animâ personæ sibi specialiter conjunctæ, præsertim si nuper sit defuncta.

Deniquè strictè prohibitum est, nisi accedat liberimus offerentis consensus, ne acceptentur missæ pro defunctis diutiùs uno mense continuo, et missæ pro vivis ultrà bimestre.

3. Regula circà quantitatem stipendii pro missâ (lectâ) celebrandâ sapienter ab Antecessore Nostro determinata servetur, nec unquàm liceat plùs accipere, nisi constet adesse conditiones ad veram donationem requisitas.

4. Excepto titulo gratificationis, ex eleemosynis

Missarum nulla, utcumque minima portio, retineri potest. Applicari neque debet S. Sacrificium pro personis quæ in posterum stipendia sunt erogaturæ, quia intentio earum nondum existit.

5. De jure communi, sacerdotes eodem die binam missam celebrantes, in casu necessitatis, stipendium pro unâ tantum, imò si sint obligati ad missam pro populo celebrandam, pro neutrâ possunt accipere. [a]

At verò ex S. Sedis concessione, 15 oct. 1863, Episcopi sub auctoritate S. Cong. de Prop. Fide constituti, possunt, quandò id expediens judicant, sacerdotibus suis permittere, ut pro secundâ missâ stipendium accipiant; quam licentiam non nisi in casibus particularibus ac perpensis motivis intendimus concedere. (Vid. Konings. 1327. Q. 7).

6. Ubi pro pluribus Missis offeruntur stipendia quàm possibile sit intrâ congruum tempus celebrare tradenda sunt thesaurario locali ad hoc a Nobis deputato, scilicet Parocho in unâquâque parochiâ et Superiori vel Procuratori in Domibus ecclesiasticis, ad quem pertinebit sacerdotibus secum residentibus et *aliquoties* aliis benè notis stipendia quæ ab ipso postulabunt distribuere, et, saltem singulis trimestribus, ea quæ supersunt thesaurario dioccesano transmittere, qui eorum constituitur Distributor ordinarius.

7. Custodibus hujusmodi depositorum, ne, sub ullo

---

[a] Die Nativitatis Domini tria stipendia accipi possunt pro tribus missis celebratis [Bened. XIV. "Quod expensis," 26 aug. 1748]. Parochus unam tantum tenetur applicare pro populo.

prætextu, pecuniam sibi hoc titulo commissam expendere vel mutuo tradere præsumant, districtè prohibemus. Stipendia missarum numquam tradantur cuique mercatori, nec commisceantur cum temporalibus negotiationibus pro libris aut aliis rebus; qui abusus non semel condemnatus fuit à Sede Apostolicâ [S. C. Conc. 9 Sept. 1874 et 24 ap. 1875].

Quotiescumque ab offerente declaratur postulari Missam pro defunctis, volumus ut notetur illa specialis intentio ac seorsim deponatur stipendium.

9. Meminerint sacerdotes circumstantias sive loci, sive diei, sive qualitatis missæ, sive altaris privilegiati, etc., etc., quodcumque de iis intervenit pactum saltem implicitum, non posse ampliùs prætermitti sinè peccato quod grave foret, si persona offerens esset rationabiliter et notabiliter invita.

10. Parochus diligenter inquiret utrùm oneribus Missarum ecclesia sua gravetur, et si quæ sint, illa fideliter impleat, novaque hujusmodi onera non assumat, nisi Episcopus scripto suum assensum præbuerit. Quòd si judicet ea quæ jàm existunt esse nimis onerosa, vel dotationem non sufficere, totam rem Episcopo deferat [Rit. Quebecen. 1703. p. 627].

11. Cum magnâ cautelâ procedendum est in acceptandis foundationibus Missarum quas non rarò pietas fidelium offert; igitur expedit, in ipso limine cum fundatoribus, expressum iniri pactum de conditionibus sequentibus: 1. Si capitale ex quâcumque causâ pereat vel sterile fiat, cessabit obligatio ex parte missæ. 2. Si minuantur redditus, Ordinario facultas competet numerum missarum pro ratâ minuendi.

3. Si ecclesia, in quâ missæ celebrandæ sunt destruat<sup>ur</sup> vel sacerdote careat, Ordinarius alteram designabit in quâ celebrentur. (a)

12. Quò verò magis distincta ratio habeatur de obligatione onera Missarum ad certum præfinitumque tempus adimplendi, in singulis ecclesiis asservetur liber in quo accuratè inscribantur missæ quæ celebrari debent et quæ sunt celebratæ.

Quoad fundationes *in perpetuum* acceptandas conficiatur instrumentum fidem habens de conditionibus suprâ dictis, et chirographo tam Parochi quàm matriculariorum munitum, et inscribatur in libro deliberationum Fabricæ; sed insuper exemplar hujus autographi à Parocho obsignatum ad Episcopale Archivum transmittatur, et tabella missas fundatas breviter indicans in sacristiâ exponatur.

### **De Ritibus et Cæremoniis Sacris.**

“ Non pro libito inventi et irrationabiliter inducti, “ sed recepti et approbati Catholicæ Ecclesiæ ritus, “ qui in minimis etiam sinè peccato negligi, omitti vel “ mutari haud possunt, peculiari studio ac diligentiâ “ serventur” (Bened. XIII. in Conc. Rom).

Gravis Episcopo incumbit obligatio procurandi, ut quæcumque ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium, ad Sacramentorum administrationem, ad Officii Divini

---

[a] Usquè ad revocationem ab Ordinario, fundum quinque et viginti nummorum pro missâ privatâ, pro cantatâ verò centum nummorum requiri debet à fundatoribus.

publicam celebrationem privatamque recitationem pertinent, juxtà sanctas Ecclesiæ Romanæ regulas peragantur. Undè universos hujus diœcesis sacerdotes et clericos obsecramus, ipsisque strictè præcipimus, ut sequentia diligenter observent :

1. Antè omnia, sacras Liturgiæ leges seu rubricas, tùm particulares, tùm generales, quæ, jussu Ecclesiæ, in singulis exemplaribus Missalis, Ritualis, Breviarii ac Cæremonialis Episcoporum reperiuntur, et consequenter quasi totâ die in manibus nostris versantur, assiduè legant, et attentè scrutentur; alioquin inevitabile periculum incurrerint plures transgressiones committendi, quæ, utpotè procedentes à radice ignorantia prorsùs vincibilis, nequaquam à peccato possent excusari.

1. Ut plenior obtineatur venerabilium illarum legum intelligentia, utilissimum erit Decreta S. Rituum Congregationis, quæ officialis eorum interpres à SS. Pontificibus constituta fuit, aut saltem compendiosam istorum Decretorum collectionem interdùm versare, necnon et probatos auctores, qui de sacrâ Liturgiâ tractaverunt.

3. Quidquid ex ipsâ legis litterâ, vel ejus authenticâ interpretatione, vel liturgistarum consensu, præceptum esse constat, debet adamussim servari, nonobstante quâcumque contrariâ consuetudine. Si tamen ob quasdam locorum vel temporum circumstantias, videatur aliquod præceptum observari non posse, nemo præsumat inniti judicio suo, sed Episcopo res tota deferatur.



4. Extrà dubium est, præcepta de quorum existentiâ disputatur inter Liturgiæ peritos, necnon et consilia quæ ab ipsis, etiam unanimi consensu superaduntur præceptis, nullum conscientiæ vinculum directè imponere, ipsosque Episcopos non esse competentes de his causis iudices.

5. Cùm tamen, juxtà morem nunc apud diversas orbis Catholici regiones satis communem, ut major uniformitas etiam in minimis obtineatur, Patres Conc. I. Quebecen. jusserint cæremoniale ad usum hujus Provinciæ publicari, volumus illud Cæremoniale Provinciæ Quebecensis, anno 1853 primò editum, usquedùm aliter pronuntietur, ab omni clero Nostræ Diocesis accipi, tanquàm practicum Liturgiæ Manuale. Si tamen (quod non est leviter supponendum, sed solidè demonstrandum) aliquid inveniatur apud illud doctum opus, quod legibus liturgicis adversetur, deficit omninò circà hoc punctum ejus auctoritas.

In difficultatibus utiliter consuli potest Cæremoniale R. P. LeVasseur, secundùm praxim Cathedralis Ecclesiæ.

6. Declaramus igitur supralaudatum Cæremoniale Prov. Queb., quoad ea omnia quæ, neque legibus liturgicis præcipiuntur, neque iis contraria sunt, vim eandem habere, in hâc Nostrâ Diocesi, quâ regulæ pollent, in ecclesiasticis et religiosis communitatibus; scilicet, quamvis nulla ex iis oriatur obligatio directa, vix tamen sinè peccato ea posse scienter et sinè causâ omitti vel mutari, eò quòd communiter vel accidit aliquis contemptus, vel aliis clericis ipsisque laïcis datur occasio scandali.

7. Quantum Ecclesia cordi habeat rubricarum observationem, abundè patet ex his verbis Episcopi consecrantis : *Quia res, quam tractaturi estis, periculosa est, filii carissimi.....* Hinc est, quòd fideiiores Ecclesiae ministri nunquam scienter et voluntariè vel minimum punctum omittant, quia nihil ipsi pro levi reputant, quæ Ecclesia sancta Dei, inspirante Spiritu Sancto, observanda præscripsit.

Magnoperè pietas in populo promovebitur, si cæroniæ et ritus eximiâ reverentiâ à sacerdotibus obeuntur, simulque eæ, quæ fidelibus in iisdem obveniunt partes ritè et devotè peraguntur. Quarè sacerdotes exhortamur, ut eorumdem explicatio tam sancta et præstans populo sæpè exponatur ; et ad operam rectè illis navandam, adolescentes instituunt, iisque tantum ministerium commendent, in quo socios se habere Angelos meditentur.

### **De Expositione et Benedictione SS. Sacramenti.**

1. Ad fovendam populi fidelis devotionem ergà Divinam Eucharistiam, recenter instituta fuit à Nobis Expositio Solemnis XL Horarum, cum Adoratione perpetuâ, in cunctis hujus diœceseos Ecclesiis et præcipuis Oratoriis.

2. Intimo sanè perfundimur gaudîo, quotiès recogitamus Nostram diœcesim diù noctùque ferè per totum anni circulum coràm Jesu in Eucharistiâ latenti prostratam Cordi Ejus Sacratissimo perpetuum offerre adorationis, amoris, reparationis et supplicationis incensum, atque vicissim ab eodem amantissimo Corde gratiis et benedictionibus cumulari.

3. Quapropter volumus Solemnissimam illam XL. Horarum Expositionem juxtà Instructionem Clementinam celebrari. Quòd si quædam puncta videantur non posse observari, prohibemus, ne quis præsumat, Episcopo inconsulto, quidpiam omittere vel mutare, secluso casu improvisæ necessitatis.

4. Permittimus Benedictionem SS. Sacramenti *cum Ostensorio*, post brevem ejusdem Expositionem, fidelibus impertiri :

a. Quotidiè per octavam Corporis Christi, et in festo Ejusdem SS. Cordis.

b. In singulis Solemnitatibus et Festis 1æ et 2æ classis.

c. Unâ Dominicâ per mensem, ad arbitrium parochi vel capellani.

d. Primâ et ultimâ die mensium Junii, Maii et Martii, SS. Cordi Jesu, B. M. Virgini ac S. Joseph respectivè consecratorum, ubi fit devotio.

e. Quotidiè per Sacrarum Missionum vel Exercitiorum Spiritualium tempus.

5. Benedictionem SS. Sacramenti *cum Ciborio* dare licebit :

a. Cæteris per annum Dominicis diebus.

b. Quotidiè per duos menses SS. Cordis Jesu ac B. M. V., dummodò quædam pia exercitia peragantur.

c. Singulis diebus novemdialium, quæ cum aliquâ solemnitate celebrantur.

6. Etsi non requiratur Ordinarii licentia ad Expositionem privatam, quæ consistit in eo quod Sacerdos ostiolum Tabernaculi aperiat, et, cantato *Tantum ergò*, illud absque benedictione iterùm claudit, satis patet

piam illam praxim, extrà publicas Orationes Quadragesimæ, cum debito moderamine esse adhibendam.

7. Si quæ Religiosa Communitas obtinuerit à Sede Apostolicâ, vel ab Ordinario diœcesis ubi stat domus ejus principalis, privilegium aliis diebus solemniter exponendi SS. Sacramentum, concessionem illam, dummodò authenticum Nobis exhibeatur testimonium, omninò volumus esse incolumem.

8. In Benedictione solemnî cum Ostensorio adsint saltem decem et octo luminaria, duodecim verò in Benedictione cum ciborio, et sex in Expositione privatâ.

9. Ritus sacri pro Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, in Cæremionali descripti, ab omnibus strictè sunt observandi.

### **De Sacris Oleis.**

Post augustissimum Eucharistiæ Sacramentum nihil sanè est tam venerabile, tam sanctum quàm Sacra Olea, utpotè plurium sacramentorum materia. Op-tandum est, ut semper et ubiquè tali reverentiâ tractentur, qualis ipsis, cùm conficiuntur in Cœnâ Domini, exhibetur. Quarè sequentes regulas statuimus esse observandas :

1. De jure communi, renovanda sunt Olea Sacra, per totam Diœcesim, quamprimùm post solemnem eorum consecrationem, quotannis feriâ V Majoris Hebdomadæ peractam, ità ut, extrà casum necessitatis, veteribus oleis uti non liceat ad benedictionem aquæ baptismalis in Sabbato Sancto (Rit. Rom.).

2. Acceptis novis Oleis, vetera effundantur in lampadem, quæ antè SS. Sacramentum collucet, vel gossypio ebibantur ad comburendum, si in parvâ quantitate remaneant, cinere gossypii, quo etiam vasa diligenter terguntur, in Sacrarium projecto.

3. A Nostrâ Cathedrali Ecclesiâ, nova Olea petenda sunt; nec alterius diœcesis Episcopos adire possunt parochi, ut illa sibi comparent [Bened. XIV. Inst. 81, n. 2]. Si sacerdotes vel clerici ad ea accipienda inveniri nequeant, saltem eligantur honesti piique laïci, præsertim matricularii (marguilliers), qui illa recipiant à sacerdote distributore, et majori quâ possunt religione, diligentîâ atque cultu gestent.

4. Nunquàm verò Olea Sacra tradentur, nisi vel ipsis parochis, vel eorum vicariis, vel illis quos constituerit per litteras manu parochi subscriptas, ritè ad hoc munus fuisse missos.

5. Vascula parochialis Ecclesiæ ad usum Sacra Olea asportandi, ubi, pro inopiâ, ex argento fieri non possunt, ex stanno puro, coque nobiliori fient, tùm perpolita mundave, tum benè obturata omninò sint: "Quæ vascula sint inter se distincta, et propriam unumquodque inscriptionem habeat majusculis litteris incisam, ne quis error committatur" [Rit. Rom. de S. Oleis]. In arculâ decenti et solidâ, clavique munitâ debent includi.

6. Ad usum verò quotidianum, minora habeantur vascula ex argento, si fieri potest, aut stanno, intrinsecùs munita bombacio Oleum exprimente ad compressionem pollicis, aptè distincta et benè cooperta, et cum suis inscriptionibus, ut suprâ, ne parochus aber-

ret, et unum pro altero sumat, quod cavere debet diligenter (Rit. Rom.). Peccaret enim graviter, si in cære negligenter se gereret, unumque oleum pro alio acciperet et adhiberet.

7. Semper apud ecclesiam ad latus Aræ maximæ, vel sacristiam in loco proprio, honesto ac mundo, Olea Sacra religiosè asserventur, ne ab aliquo, nisi à sacerdote, temerè tangantur. Is locus muniatur clavi, quam parochus cautè custodiat, et in superiori ostioli parte hæc inscribantur: *Olea sacra.*

Oleum verò infirmorum regulariter ibidem custodiatur; nisi, ob magnam distantiam vel aliam gravem rationem, licentia concedatur à Nobis illud apud domum sacerdotalem servandî, in loco tamen ab omni profanâ suppellectili vacuo, decenter ornato, diligenterque clauso, cujus ostium hæc inscriptione signetur: *Oleum Infirmorum.*

8. Sacrum Oleum, cum solemnitate in Rituali descriptâ volumus ad infirmos deferri, quodcumque fieri potest, ac præsertim intrâ religiosas et piâs Domos. Si verò vas Olei sacri privatim portandum sit, strictè præcipimus, ut in sacculo serico violacei coloris includatur, qui, toto itineris tempore, ad collum Sacerdotis pendeat.

9. Caveant Sacerdotes, ne de S. Oleis quicquam ulli unquam tribuant cujusvis rei prætextu (Rit. Rom. de S. Oleis).

### De Vita et honestate Clericorum.

1. Perpetuò memores estote, fratres et filii in Christo charissimi, vocationis quâ vos dignatus est Dominus noster. Hanc ut in vos æstimationem vocationis sacræ vivam semper et efficacem retineatis, identidem mente revolvatis, ad quam altam et planè divinam dignitatem, et ad quod proeminens munus ex tot innumeris aliis hominibus vocati fueritis. Honor sacerdotalis nullis potest comparationibus adæquari. "Omnium dignitatum apex est sacerdotium" (S. Ignatius, Ep. Smyrn.). "Miraculum est stupendum, magna, immensa, infinita sacerdotii dignitas" [S. Ephrem. C. 13, de adoratione]. Sacerdotium in terrâ peragitur, sed cœlestium ordinum classem obtinet. "Quapropter sic decet omninò clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem" [Conc. Trid. Sess. XXII. C. 1].

2. Clericos à cæteris non solùm statu ac conditione, sed etiam vestibus distingui oportet. Tales debent esse illæ vestes, ut clericalis ordinis modestiam ac dignitatem commendent. Nihil novitatis, nihil superfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad superbiam vel vanam gloriam, in illis notetur; cùm vel graviores inter sæculares homines hæc omnia abhorreant. Non tamen sint viles, sordidæ et neglectæ, sed proprio congruentes ordini, simplices, mundæ, ac tales,

ut tam coloris modestiâ, quàm cultûs simplicitate, religiosam præ se ferant humilitatem ; et per decentiam habitûs extrinseci intrinsecam ostendant morum honestatem.

Quisnam verò habitus clericis conveniat, à S. Conc. Trid. Sess. XIV. C. 6. uniuscujusque Episcopi judicio statuendum permittitur, etiam adjectâ pænâ in contumaces. Quarè, ex Decreto XIV, n. 7. Conc. II. Queb., volumus ut omnes et singuli clerici Nostræ Diœceseos semper deferant : 1. Tonsuram conformem ordini suo, et conspicuam. 2. Vestem talarem. 3. collare romanum. 4. cingulum, ad modestiam verò compositum. 5. Cruralia nigri coloris. 6. In visitationibus mantellum non constrictum, sed amplum, secundùm formam Romæ admissam ; vel illud humerale [douillette] jàm usitatum.

Nullum particularem petasum præscribimus ; clericis autem injungimus eo tantùm uti qui suo congruat ordini, scilicet, qui nigri sit coloris et ab omni mundanâ vanitate vel formâ alienus.

Attamen, in casu itinerationis, si qui nequeant absque gravi incommodo suprâdictas vestes retinere, saltem induantur veste oblongiori, nigrantis coloris, hujusque formæ, undè eorum modestia et dignitas omnibus innotescant ; quâcum nihilominùs retineri collare romanum præcipimus, in argumentum clericalis statûs et gravitatis ecclesiasticæ incitamentum.

3. Verùm quos distinguit habitus, commendet magis necesse est etiam honestas morum et vitæ. Omnibus virtutibus clarere debent. Imperat Deus : " sacerdotes qui accedunt ad Dominum sanctificentur, ne percutiat eos" (Exod. XIX. 22.). Clamat Christus : " Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant.



“ opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum qui  
 “ in cœlis est” (Matt. V. 14. 16). Docet Ecclesia  
 in ordinatione ministrorum : “ Sacerdotem etenim  
 “ oportet offerre, benedicere, præesse, prædicare, et  
 “ baptizare. Cum magno quippè timore ad tantum  
 “ gradum ascendendum est, ac providendum ut cœ-  
 “ lestis sapientia, probi mores, et diuturna justitiæ  
 “ observatio ad id electos commendent.....Agnoscite  
 “ quod agitis. Imitamini quod tractatis ; quatenùs  
 “ mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare  
 “ membra vestra à vitiis et concupiscentiis omnibus  
 “ procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medecina  
 “ populo Dei. Sit odor vitæ vestræ delectamentum  
 “ Ecclesiæ Christi.....Estotè nitidi, mundi, puri, casti,  
 “ sicut decet ministros Christi et dispensatores mys-  
 “ teriorum Dei” (Pont. Rom.).

4. Nihil est, ait Tridentinum, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cùm enim à rebus sæculi in altiorem sublatis locum conspiciantur, in eos, tanquàm speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. “ Vita clericorum liber est laïcorum” (Conc. Turon. 1537). “ Hoc enim omnibus ferè sæculis compertum fuit, pro sacerdotum vitâ benedictionem aut maledictionem à Deo in populum procedere” (Syn. Osnabrug. 1628).

5. Quapropter negligere nolint clerici gratiam, quæ data est eis, ut plantati in Domo Domini, germinet et floreat sicut lilia. Considerent quantum intersit gloriæ Dei et eorum saluti firmum vitæ sacerdotalis piè instituendæ propositum concipere, et opere illud

complere. Cœlestem in terris vitam, tanquàm angeli Dei, moribus suis exprimere adeò studeant, ut ab illis divinarum virtutum exempla ad cæteros emanent. Fidem, spem et caritatem imprimis, quæ seminarium est omnium virtutum, omni studio complectentur. Humilitatem, castitatem, sobrietatem et temperantiam, mansuetudinem et magnanimitatem, patientiam et longanimitatem, justitiam, simplicitatem, prudentiam, gravitatem et affabilitatem, modestiam et decorem clericalem, paupertatem, fortitudinem, obedientiam et reverentiam ergà Superiores, fraternam charitatem, hospitalitatem et beneficentiam, zelum animarum et Domûs Dei, studium orationis et bonæ famæ, scientiam et assiduitatem in studiis theologicis, officiaque christianæ et sacerdotalis pietatis omnia colant.

6<sup>a</sup> Ad profectum autem in spiritu, litteris et functionibus sacris non parùm conducit ordo intelligenter compositus. "Ordo dux est ad Deum, et quæ à Deo sunt, ordinata sunt" [S. Aug. de Ord. c. 1]. In omni statu, præsertim ecclesiastico, ordo quidam est necessarius, vel in rebus, vel in modo, vel in tempore. Qui regulæ vivit Deo vivit.

Qualis ordo diurnus sit, clericum salutis suæ et honoris divini studiosum locorum et agendorum circumstantiæ docebunt. irrimò autem meminerint omnes exhortationis Apostoli: "Exerce teipsum ad pietatem" [I. Tim. IV. 7]. Etenim sinè spiritualibus exercitiis servari non potest convictio practica dignitatis ecclesiasticæ et ejus gravium obligationum. Antè omnia igitur hæc fundamentalia vitæ sacerdotalis ritè et affectuosè sunt peragenda:

a. *Preces matutinæ, et meditatio per saltem semihoram*—"Nos verò orationi instantes erimus" [Act.

VI.4]. Juxtà S. Aug. rectè novit vivere, qui rectè novit orare. " Confessarius, ait S. Lig. adimplere non potest substantiam obligationum suarum, nisi oratio sit per familiaris et meditatio quotidiana" (Prax. Conf.). Anima quæ amittit orationem, dicebat S. Theresia, tanquàm à semetipsâ se collocat in inferno sinè operâ dæmonum."

*b. Celebratio Missæ*—ad horam fixam et populo convenientem.—Propter gloriam divinam, utilitatem Ecclesiæ et beneficium proprium, omnis sacerdos quotidie divina celebrare mysteria mereri debet, imò et faciat, nisi aliquâ gravi causâ impediatur. Antè sacrum diligentem adhibeat præparationem, in sacro reverentiam et devotionem, post sacrum piam gratiarum actionem, saltem per quadrantem.

*c. Recitatio Breviarii*—cum animi præparatione, modo, tempore et loco congruo.

*d. Sacræ Scripturæ lectio*—" Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ, ut perfectus sit homo Dei et ad omne opus bonum instructus" (II Tim. III. 16). " Divinas Scripturas sæpius lege, imò nunquàm de manibus sacra lectio deponatur" (S. Hieronimus). Singulis diebus saltem unum novi Testamenti caput et veteris Testamenti tria capita legi debent, ut quotannis Biblia integra pervolvatur.

*e. Examen conscientie particulare* antè prandium, et *generale* sub vespere in quo totius diei cogitata, verba, desideria actusque in mentem revocentur, atque cum serio emendationis proposito dijudicantur.

*f. Recitatio Rosarii B. M. V.* " Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus et votis omni-

“ bus Mariam veneremur, quia hæc est voluntas ejus, “ qui totum nos habere voluit per Mariam” (S. Bern. Serm. 3. de pass. Dom.).

*g. Visitatio SS. Sacramenti* post meridiem.—“ Non “ enim habet amaritudinem conversatio illius, nec “ tædium convictus illius, sed lætitiã et gaudium” [Sap. VIII. 6]. Noscat itaquè uti sacerdos tanto dono et frui præsentia tanti hospitis. Ut bona spiritualia et temporalia, tùm publica, tùm privata promoveantur, ut mala tùm culpæ tùm pœnæ arceantur, instanter à Christo postulet. “ Presbyterorum officium in orando Deum pro totius Ecclesiæ et populi christiani prosperitate situm est ” (Syn. Colonien.).

*h. Lectio Spiritualis.*—“ Omnis profectus ex lectione et meditatione procedit ” [S. Isid. lib. 3. de Summo Bono, c. 8]. Hæc lectio sacerdoti maximè est necessaria, tam pro suo quàm pro spirituali progressu pœnitentium, quos dirigit in viã pietatis et perfectionis.

*i. Preces Vespertinae, et præparatio seria* meditationis diei sequentis.

His spiritualibus exercitiis studium et alias functiones sacri ministerii intermiscat sacerdos. Cùm autem pastor animarum variis occupationibus distentus esse soleat, cuilibet actioni suæ certum et conveniens tempus assignet, sibi quæ præfigat diei ordinem juxtã quem surgat, cubitum petat, et omnia instituat. Huic tamen ordini non itã insistat, ut ne eum quidem invertere, aut opus inceptum interrumpere velit, dùm id necessitas aut rationabilis causa suadet; Deum enim propter Deum deserendum esse sciat.

Sacerdos, quò purior ad rem divinam faciendam accedet, eò majus augmentum gratiæ sanctificantis

accipiet; præsidium et robur majus contra tentationes acquirat, si confessus fuerit frequenter. "Singulis saltem hebdomadis, atque adeo sæpius confitemini." Ità cum S. Carolo Borromæo in Conc. Mediolan, adhortamur sacerdotes Nostros. Sacerdos enim negligens confessionem circiter hebdomadalem vix delabi non tardabit in tepeditatem, et si diutiùs differt, in peccatum mortale. Confessarium stabilem, pium, doctum, dotibus ecclesiasticis ornatum, sui officii et ministerii studiosum unusquisque seligat, et selectum ut Christum audiat.

Diem aliquam recollectionis, aut ad mortis præparationem quolibet mense seligant omnes, ità tamen, ut illud devotionis genus magis Deo, quàm hominibus innotescat.

Cùm devotionis fervor facilè refrigescat, et de mundano pulvere, ut ait S. Leo, oporteat etiam religiosa corda sordescere, singuli sacerdotes teneantur, quolibet anno, exercitia spiritualia, quæ Episcopus providebit, adire. Promissa Baptismatis, sponsones tonsuræ clericalis, sacerdotii munera recognoscendo, tunc accuratiùs adimplenda sibi proponant.

7, Quæcumque demùm de muneris sui partibus, de vitæ modo, vel Pontificum sanctionibus, vel œcumenicis Conciliis, et præsertim Tridentino, vel provincialibus diœcesanisque Synodis, vel Episcoporum edictis, vel aliâ ratione sanctita præscriptaque sunt, ea servant omnes ac præsent diligenter [Conc. IV. Queb. Dec. VII].

### **De Monialibus**

I. Cùm à S. Concilio Tridentino Moniales pater-

nae sollicitudini Episcoporum concredita sint, volumus, in adimpletione muneris Nostri, ea praesidia, quae eas in sua sancta vocatione perpetuo sustentent, sollicitè administrare, secundum mentem et regulas Ecclesiae. Varia hujusmodi Nostrae diocesis instituta, ex quibus jam uberrimi fructus orti sunt, paternam charitate amplectentes, libenter laborabimus, ut per continuum tum in spiritualibus tum in temporalibus profectum, singula juxta suum proprium finem et spiritum magis ac magis floreat et fructificent.

2. Quum nullum existat nunc in hac diocesi monasterium in quo emittantur vota solemnia, constat omnes et singulas Moniales, sive exercitio misericordiae erga pauperes, orphanos et infirmos, sive christianae puellarum educationi, sive orationi et poenitentiae operibus se devoveant, Episcopali jurisdictioni subjacere et vota simplicia emittere.

3. Superiores autem hujusmodi quam maxime laborent ad conservandum in Monasteriis spiritum vitae perfectioris, et strictam regularum observantiam; nihil in iis, neque in laudabilibus consuetudinibus, Episcopo inconsulto, innovantes.

4. Nova domus Monialium ne erigatur absque Ordinarii licentia, quam magnopere expedit obtinere antequam de tali opere aggrediendo tractetur.

5. Ad sacrum habitum nulla persona admittatur, nisi prius Episcopus ejusve delegatus exploraverit, utrum cum sufficienti cognitione ac plenissima libertate vitam religiosam appetat, et agnoverit ipsam sub omni respectu ad hujusmodi institutum esse idoneam; quae examinatio ante votorum emissionem iterabitur.

6. Quotiescumque id opportunum existimaverit, Episcopus per se vel per delegatum suum visitabit singulas Monialium domus, etiam eas, quæ ab aliâ Domo extrâ diœcesim sitâ pendent, diligenter inquirens de omnibus, quæ ad bonum communitatis et singulorum ejusdem membrorum, in ordine sivè temporali, sivè supernaturali spectant, salvis tamen Constitutionibus à S. Sede approbatis.

7. Administrationi œconomicæ monasteriorum invigilet solerter Episcopus, providendo vel per se, vel per alium, rectæ bonorum gestioni. Monialium dotes mediis prudentibus et prorsus honestis reddantur frugiferæ; nec absque Episcopali approbatione extraordinarii sumptus inducantur.

8. Circâ confessiones Monialium volumus sequentia diligenter observari, juxtâ sapientissimas SS. Pontificum regulationes :

[a] Unicus sacerdos specialiter ab Episcopo deputabitur ad confessiones audiendas, in singulis Monialium domibus saltem principalibus.

[b] Ejus officium erit triennale, nec prorogari valebit, exceptis casibus à jure determinatis.

[c] Moniales earumque novitiæ et postulantes *validè* absolvi non poterunt intrâ propriam domum et oratorium ipsi adnexum, nisi 1. ab ordinario earum Confessario, 2. à Parocho loci in quo sita est domus, 3. à Canonicis Nostræ Cathedralis Ecclesiæ, 4. à Sacerdotibus officium confessarii sivè ordinarii sivè extraordinarii apud Nostræ diœcesis conventus actu exercentibus; qui tamen omnes et singuli *non licitè* hujusmodi ministerium etiam pro uno casu exercent, nisi ad hoc fuerint à Superiorissâ domûs vocati, aut ab Episcopo ejusve Generali Vicario missi.

[*d*] Monialibus etiam claustratis, si quæ ad tempus extrâ monasterium suum versari debeant, licet in ecclesiis, sacellis vel oratoriis publicis sacramentaliter peccata sua confiteri apud quemlibet confessarium in diœcesi pro utroque sexu approbatum.

[*e*] Tempore quo peraguntur apud aliquam domum religiosam exercitia spiritualia, Sacerdoti qui ea dirigit fas erit confessiones cujuslibet personæ audire, quæ etiam intrâ domum degens ad ejus confessionale accedit.

[*f*] Quater in anno, videlicet in singulis hebdomadibus quatuor temporum, confessarius ab Episcopo eligetur, quem omnes et singulæ Moniales, novitiæ et postulantes in sacro tribunali sedentem adire debent, etiamsi fortè confessionem sacramentalem apud ipsum peragere non intendant; et quamdiù durabit extraordinarii confessarii officium, non licebit ordinario confessario, quâcumque ex causâ, ad domum accedere.

[*g*] Si qua Monialis, unâ vel alterâ vice, peculiari confessario conscientiam suam exoptet aperire, ad quietem animi vel consolationem, maximèque in periculo mortis, Superiorissa non difficilem in hujusmodi permissione concedendâ se præbeat; si tamen id frequentius contingat, consulendus est Episcopus.

[*h*] In ruralibus conventibus ubi pauciores vivunt Moniales, confessarius earum ordinarius, nisi aliter ab Episcopo determinetur, erit Parochus loci, et, ipso per octo continuos dies impedito, vicarius ejus, vel si plures sint, ille cui præcipuæ pastoris impediti functiones committuntur.

[*i*] Superiores verò monasteriorum non facilè confessiones Monialium audiant, ut plenâ suâ libertate gaudere possint in earum externo regimine.



9. Decernimus supràdictas regulas quoad confessarii extraordinarii deputationem, etc.....similiter esse observandas in favorem omnium feminarum, quæ quolibet titulo in monasteriis, hospitiis, conservatoriis, etc.....videntes, unicum confessarium habent pro ipsis deputatum.

10. Juxtà hodiernam Ecclesiæ disciplinam pluribus decretis confirmatam, ob graves abusus qui irrepserunt, in præsens non admittitur manifestatio conscientie Moderatrici facta in scriptis, et ne oralis quidem, *nisi relatè ad publicam regulæ transgressionem et ad profectum in virtutibus*; de aliis enim agendum est cum proprio confessario.

11. Per viscera Christi confessarios Monialium instantè hortamur, ut dignos se exhibeant dispensatores mysteriorum Dei et duces expertos in viam perfectionis. Sint illi morum gravitate, prudentiâ, doctrinâ, et asceticæ artis intelligentiâ commendabiles, à frequentiâ colloquii se abstineant, in temporalibus haud se immisceant, et ad spiritualem dumtaxat progressum curam omnem studiumque impendant. Ars artium regimen animarum, præsertim in sortem Domini vocatarum.

12. Prorsùs in antecessum condemnamus et interdiciamus intolerabilem illam facultatem concedendi aut negandi accessum ad Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ, vel vocationem examinandi, quam temerè sibi usurpare non dubitent etiam fœminæ, in monasteriis vel piâ aliquâ congregatione potestatem fortè aliquam exercentes vel in Moniales sibi subjectas vel in puellas, quæ in iisdem monasteriis educantur, aut etiam merè scholas aut sodalitates ibidem frequentent.

Caveant igitur quæcumque, ne gravissimum hoc difficillimumque munus *solis confessariis* rerum spiritualium experientiâ pollentibus reservatum, sibimetipsis assumant; procurent autem, ut, in omnibus quæ spectant ad suprâdicta Sacramenta et ad vocationem religiosam, personæ sibi commissæ, cum filiali fiduciâ, cordis sui arcana confessario suo manifestent, ejusque decisiones fidelissimè sequantur.

13. Hortamur autem et obsecramus in Domino Moniales, ut verâ charitate ferventes semper proficiant de virtute in virtutem; personasque sibi commissas ad Christum solum attrahere satagant, nunc orantes, nunc docentes, nunc exhortantes, nunc corripientes, nunc consolantes, et christianas virtutes cum tenerâ sollicitudine in ipsis excolentes. Sic enim sacerdotalibus laboribus in terrâ cooperantes, sacerdotalis mercedis in cælo participes esse merebuntur.

### **De Stipendio Vicariorum.**

“ Vicarii in adjutorium ministerii parochialis instituti sunt, et ab Episcopis deputantur, parte fructuum iisdem pro sufficienti victu assignatâ” (Conc. II. Queb. Dec. XV. §. 1.).

Quapropter sequentia decernimus :

1. Vicario tribuitur in domo parochiali jus ad mensam, atque habitatio decens ac contrâ rigorem hyemalis frigoris munita.

2. Insuper summa saltem septuaginta quinque nummorum, qui vulgari nomine *piastres* vel *dollars* designantur, Vicario singulis annis solvetur.

3. Parocho incumbunt expensæ, quæ necessariae sunt, tum ut Vicarius à loco ubi erat constitutus adeat ipsius parochiam, tum ut idem Vicarius ad amici vel vicini adjutorium *ab ipso* missus iter peragat.

4. Si quandò Parochus, ob infirmitatem vel aliam causam, ab Episcopo vel Parocho vicino postulet sacerdotem in auxilium suum mitti, omnes expensas itineris ipse solvet, atque stipendia omnium Missarum, quæ juxtà suam intentionem celebratæ fuerunt, adjuvanti tribuere non omittet.

5. Administratori vacantis parochiæ assignanda est congrua, et taxanda arbitrio Episcopi, ex fructibus parochiæ.

#### **De pane benedicto.**

Consuetudo panem benedictum singulis Dominicis et Festis in ecclesiis distribuendi, quùm in desuetudinem apud plerasque hujus diœcesis parochias abierit, uniformitatis causâ, deinceps est tollenda, ubi jam adhuc viget. Si tamen in quibusdam locis, expensas necessarias parochiani spontè suscipiant, et insuper fructus ædificationis indè speretur, parochi poterunt hujusmodi distributionem in quibusdam Festis solemnioribus permittere.

## INDEX.

Litteræ indictionis primæ Synodi Diœcesanæ	3
Officiales 1æ et 2æ Synodi.. .....	5
Mandatum promulgationis.....	9
CONSTITUTIONES SYNODALES.....	13
De Conciliorum Provincialium Quebecensium promulgatione.....	13
De jurisdictione.....	13.
De applicatione Missæ pro populo.....	20
De Verbi Dei prædicatione.....	21
De Catechesi.....	25
De cognitione parochiæ.....	29.
De visitatione et curâ infirmorum.....	32.
De scholis.....	36
De Baptismo infantium periclitantium.....	41.
De stipendiis Missarum.....	45.
De Ritibus et Cæremoniis sacris.....	49
De Expositione et Benedictione SS. Sacra- menti.....	52
De S. Oleis.....	54.
De vitâ et honestate Clericorum.....	57
De Monialibus.....	63
De stipendio Vicariorum.....	68
De pane benedicto.....	69

## ERRATA

---

Pag.	Lin.	Errata	Legatur
8	19	Episcopoli	Episcopali
21	6	dedebit	debebit
24	19	facilè, quædam	facilè quædam
25	8	DE CATHESESI	DE CATECHESI
26	19	seispsos	seipos
27	26	tradentâ	tradendâ
28	1	indeshnter	indeshnter
32	16	parachianorum	parochianorum
34	28	perdurat	perduret
39	6	utatur	utantur
44	1	cœremonias	cœremonias
46	19	gene	genere
46	28	accipcre	accipere
58	7	pænâ	pœnâ
61	4	mditatio	meditatio
63	4	Mediolan,	Mediolan.
63	27	sanctita	sancita

